



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Pars II. De Contractibus in specie.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

ne ejus bona inutiliter consumantur, ex l. cit. & l. 9. ff. de oblig. & act. ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* Excipe nisi mutuans bona fide putaverit pupillum eam pecuniam impendere vel in suam utilitatem; nam tunc naturalis æquitas solutionem exigit: nec lex intendit privare debito alterum bona fide procedentem, & gratificari volentem.

PARS II.

De Contractibus in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Promissione.

Q. I. *Quid est promissio?*

Resp. **Q**uid est promissio? Est actus voluntatis exterius expressus, (nam de promissione facta homini hinc agitur) quo quis se obligat alteri ad aliquid: sive est deliberata fidei obligatio facta alteri de re aliqua licita, & possibili. Duplex est, nempe onerosa, qua onus alteri vicissim imponitur, unde pertinet ad alios contractus; & gratuita, qua nullum onus alteri imponitur. Si promissio fiat certâ verborum formulâ, qua unus rogat, & alter promittit, dicitur stipulatio:

latio: v. g. *Spondes te mihi daturum viginti aureos? spondeo.*

Q. 2. *Quenam requiruntur, ut promissio valeat, & obliget?*

Resp. Ex communi ista. 1. Voluntas se obligandi, ex l. 3. ff. de oblig. & act. nam omnis obligatio, quæ non est ex lege, vel præcepto, oritur ex privata hominis voluntate. Unde non est satis dicere, *promitto me hoc facturum*, si solum intendas significare animi propositum, non autem te obligare: nam simplex propositum est mera voluntas faciendi aliquid, sed absque animo se obligandi. Sufficit tamen voluntas se obligandi virtualis, & implicita, quam habet, qui sciens promissionem obligare, vult promittere, nec habet voluntatem contrariam: nam hoc ipso vult se obligare; qui enim vult causam, vult implicitè effectum, qui ex illa necessariò oritur: sicut qui vult antecedens, vult necessariò consequens. Omnis autem promissio necessariò parit obligationem, si acceptetur. Idem dic etiam si quis ignoret obligationem ex promissione oriri, modò velit facere promissionem veram, qualis ab aliis fieri solet: nam tunc habet voluntatem implicitam se obligandi: sicut Baptizans cum sola intentione faciendi, quod Christiani faciunt, cum Baptizant, habet voluntatem implicitam faciendi Sacramentum, licèt ignoret, quid illud sit.

D d §

2. Re-

2. Requiritur perfecta deliberatio, & advertentia plena ad id, quod agitur. Quia cum hæc obligatio sit onus quoddam, quod voluntariè suscipitur, non debet censi impositum, nisi adsit plenus consensus, qui nequit esse sine plena advertentia sufficiente ad peccatum mortale; & ideò promissio debet etiam esse libera, cum sit actus humanus, quo homo voluntariè, ac liberè se obligat.

3. Ut absit error, & dolus circa substantiam rei, vel causam finalem: alioqui deesset consensus substantialis.

4. Ut sit spontanea: nam si per vim, vel metum sit extorta, non obligat saltem irrevocabiliter, & firmiter, nisi sit jurata, ex c. 6. de *Jur. jur.* ibi: *Debitorum ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt. Dominum reddere juramentum.* Quia saltem promissio sic facta potest irritari à promittente, qui ob iniuriam acceptam habet jus, ut in priorem statum, ac libertatem restituatur, & ut sic accepta ei restituantur. *Talis obligatio tollitur per coercionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur:* ait S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad. 3. quod præsertim procedit de promissione gratuita; nam æquitas non patitur, ut quæ ex libertate fiunt, fiant coactè. Ad vim saltem in promissione gratuita, quæ debet esse omnino spontanea, reducitur metus reverentialis, quo quis repugnante voluntate consentit,

sentit, eo quòd non audeat contra dicere; item preces valdè importunæ, quibus res promittitur, vel obtinetur repugnante voluntate, & solùm ad molestiam precum repellendam, quæ aliter sine majore incommodo repelli nequeat.

5. Ut sit de relicta, & possibili, nam nemo potest obligari ad rem illicitam, vel impossibilem. Hinc nulla est promissio rei jam promissæ alteri. Valet tamen promissio facta homini de bono minore, licet impeditivo majoris boni, nam minus bonum potest ei magis placere, quàm majus: secus de Deo.

6. Ut ab homine, cui fit, acceptetur. Quia sine utriusque partis consensu nullum est pactum quod l. 3. ff. de pollicit. definitur, *duorum consensus, atque conventio*; & sic nulla obligatio ex eo oritur, l. 1. ff. de pact. Deinde sicut promissio, vel obligatio onerosa tacitam hanc habet conditionem, *si alter vicissim se velit obligare*, quâ sublatâ non obligat: sic etiam gratuita promissio, & donatio, hanc tacitam habet conditionem, *si acceptetur*: qui enim promittit, vel donat, non censetur animum se obligandi habere, donec alter acceptet, & rem sibi gratam fore declaret, cum velit ei gratificari.

Hinc promissio, & donatio non obligant, & semper revocari possunt ante acceptationem. Promissio tamen moraliter durat ut oblata, quamdiu non revocatur, vel ab alio
non

non censetur recusari: unde si illa nondum revocata acceptetur post intervallum temporis, perinde obligabit, ac si statim acceptata fuisset. Idque locum habet in aliis contractibus. Porro juxta multos, ut promissio gratuita, non onerosa, censetur acceptata, regulariter sufficit taciturnitas ejus, cui fit ex reg. jur. 4. in 6. *qui tacet consentire videtur*. Quæ præcipue valet in iis, quæ solum tacentis commodum continent. Regula verò sequens: *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*: procedit in promissionibus onerosis acceptatis.

Excipiuntur pollicitationes, quæ fiunt civitati, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas, quamvis enim jura non loquantur expressè nisi de pollicitationibus factis civitati ad restaurandas ruinas, &c. l. 3. & 4. ff. *de pollicit.* tamen id extendunt Doctores ad pollicitationes, & donationes ad pias causas, quia hæc æquiparantur iis, quæ fiunt civitati, si privilegia spectentur, ex l. 18. & 23. cod. *de Sacros. Ecclesiis*. Sed tunc intervenit acceptatio Reip. aut Ecclesiæ, vel leges solum volunt, ut tales promissiones non possint pro libitu revocari, sed semper possint acceptari, & promissum peti.

6. Ut promissio exterius significetur, nam alioqui non posset acceptari. Hinc si sit merè interna non obligat, nisi facta sit Deo, à quo utpote cordium inspectore statim acceptatur, Unde si promissio fiat alicui solum ob Dei honorem

norem, v. g. promitto me Dei amore tali pauperi daturum centum, statim obligat antequam acceptetur à paupere: quia talis promissio censetur esse votum, quod statim obligat, utpote statim acceptatum à Deo.

Q. 3. *An quævis promissio etiam gratuita obligat sub mortali in re gravi?*

Resp. Aff. Ita S. Antonin. Azor, Lessius, Vasq. Sanchez, Reginald. & alii communius.

Prob. quia 1. Pacta omnia obligant: ergo obligant graviter, si materia sit gravis. 2. Promissio acceptata inducit obligationem justitiæ, quæ gravis est in re gravi: nam obligatio justitiæ est ea, quæ parit in altero jus exigendi aliquid: at promissio etiam gratuita hoc parit: promittere enim non est solum affirmare se daturum, vel facturum aliquid, sed est in super se obligare alteri, ideóque jus ei dare ad exigendum, ut patet ex communi sensu. Unde homines queri solent factam sibi esse injuriam, dum violatur promissio acceptata, per quam acquiritur jus ad rem, quod transit ad hæredes: ac proinde gravis est injuria, ideóque mortalis, si violetur jus ad rem gravem promissam. 3. Promissio, quæ fit per formam stipulationis, vel coram notario, & testibus, obligat ex justitiâ, cum det actionem in foro externo, cujus sententia spectat huc, ut suum cuique jus reddatur. Horum autem assisten-

tia

tia non addit novam obligationem, sed supponit, & facit solum ad majorem securitatem. 4. S. Aug. l. i. de doct. christ. c. 36. generaliter ait: *omnis fidei violator iniquus est.* 5. Et ex Tullio, l. i. Offic. *Fides est justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque constantia.* Ergo qui in promissis fidem non servat, justitiæ fundamentum, quo pacto nituntur, evertit. At hoc est ex suo genere graviter inordinatum. 6. Donatio gratuita accedente traditione dat jus in re: ergo promissio gratuita acceptata dat jus ad rem.

Itaque fidelitas, qua fides data servatur, est justitia inadæquatè sumpta, seu pars Justitiæ, quatenus reddit unicuique jus suum ex promissione debitum: licet sit justitia minus stricta, dum promissio est gratuita. Quare fidei etiam gratis datæ, & acceptatæ violatio est quædam injustitia, & quidem ex genere suo turpis, hominemque reddens contemptibilem.

Porro consentiunt omnes, eum, qui non implet promissionem gratuitam, teneri resarcire damna inde secuta, cum dederit illis causam, non servando fidem datam, & sic decipiendo. Idem dic etiam si fictè promiserit; quia fuit causa damni per deceptionem, ideoque per injuriam. Non est tamen obligatio compensandi lucrum cessans ex re liberaliter promissa, eo quod suo tempore non fuerit data; quia promissio gratuita non obligat ex Justitia

tam

tam stricta quam promissio onerosa: nam illa dat solum jus rem promissam petendi, & conquerendi de violata fide data; & obligatio ab illa orta pendet à sola promittentis voluntate, qui non intendit se obligare nisi ad dandam rem promissam.

Not. I. Juxta multos major quantitas ad mortale requiritur in violatione promissionis gratuita, quàm onerosæ, vel in furtis: quia minus invitus censetur promissarius, quòd res gratis promissa recusetur, quàm si res propria à qualis valoris auferatur.

Q. 4. Ad quid obligat promissio facti alieni?

Resp. Obligat ad procurandum sincerè, & bona fide factum alterius: nam promittens factum alienum, eo ipso censetur velle se obligare ad illud procurandum: alioqui ad nihil obligaret, & nulla esset; nam non potest obligare ad ipsum factum alienum; quia ut alienum non est in promittentis potestate, & ad impossibile obligari nemo potest. *Ita Molin. Sanchez, De Lugo, & alii multi.*

Q. 5. An promissio facta ob causam turpem, seu opus illicitum obligat?

Resp. I. Omnis promissio, & pactio de re illicita facienda, non obligat, & nulla est jure naturali ante executionem. *Ita omnes.* quia nemo

nemo potest obligari ad peccandum. Quod si jurata sit, Juramentum est invalidum, cum non sit vinculum iniquitatis. Imò promissor tenetur retractare statim promissionem, utpote iniquam, & ad peccandum allicientem.

Resp. II. Multi docent, imò De Lugo asserit esse communem sententiam Theologorum, post opus malum patratum obligari promissorem ad solutionem pretii promissi, si datio, & acceptio nulla lege sit prohibita, nec irritata. Quia I. Promissio matrimonii facta puellæ sub conditione, quod faceret sui copiam, quamvis ante copulam non obliget, post eam tamen ex Justitia obligat promittentem ad servanda promissa. Quæ si non perficeret, postquam puella ex parte sua implevit conditionem, injuriam ei faceret, & inæqualitatem inter se, & illam poneret. 2. In illis pactis intervenit duplex promissio, una absoluta faciendi rem illicitam, & hæc nunquam valet, nec obligat; altera est conditionalis, & ex suppositione conditionis positæ: sicut possum pauperi promittere, *si peccavero, dabo tibi elemosinam.* Quæ pactio perficitur posita conditione turpi, oriturque obligatio ex vi consensûs ut sequentis, non ut antecedentis opus malum. 3. Posita conditione impletio rei promissæ non est turpis, nec enim promissum impletur ob causam turpem, sed ut fides data servetur. Quod si quis pretium promissum solvat, eo quod crimen patratum sit, tunc peccat, quia

quia tunc approbat peccat præteritum; sed hoc est per accidens, & ex ejus malitia: nam potest & debet solvere præcisè, ut fides data servetur, &c.

Alii verò negant tunc obligare: quia pactiones ob causam turpem in utroque jure absolute, & indistinctè decernuntur *nullius esse momenti, nullam obligationem inducere, nullam vim habere*, cap. ult. de pactis, ubi Greg. IX. ait: *etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure vel facto, nullam obligationem inducit: & l. 26. ff. de verb. obligat. generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti: & l. 6. Cod. de pact. Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est. item l. 5. cod. de legib.* Sed priores respondent his legibus significari tales pactiones non valere ante opus patratum, neque post patratum dare actionem in foro externo: per illas autem non tolli obligationem naturalem, quæ ex promissionibus onerosis oritur.

Q 6. *Quænam promissiones secundùm omnes sunt jure positivo irritæ?*

Resp. Sequentes. 1. Promissiones, quæ dant occasionem peccandi, ut si alteri promittas te remissurum ei obligationem de dolo, vi, furto, injuriâ, &c. l. 27. ff. de Pact. quia hoc cederet in detrimentum boni communis. 2.

Tom. II.

Ee

Pro-

Promissiones quibus adimitur libera potestas disponendi de rebus suis, v. g. promissio non condendi, aut non revocandi testamentum, non instituendi alium heredem nisi talem; quia hæc omnia sunt contra bonos mores civiles, hoc est, quos expedire esse in Rep. bene instituta. 3. Beneficii Ecclesiastici nondum vacantis promissio quovis modo facta, est illicita, & nulla, ex Conc. Gener. Later. 3. c. 8. etiamsi nullum in particulari promittatur, c. 2. de concess. præbend. in 6. ne detur occasio optandi mortem possessoris. Unde nec licet illud petere, cum ejus promissio sit vetita.

Q. 7. *Quandonam promissio acceptata, & valida desinit obligare?*

Resp. *Ex communi*, in his casibus 1. Si res promissa fiat inutilis, vel noxia promissario; nam tunc cessat esse materia promissionis, estque contra finem illius: vel si ejus impletio fiat illicita, aut impossibilis, quia nemo tenetur ad aliquid illicitum, vel impossibile, 2. Siis in cujus commodum facta est, remittat: nam tunc cedit Juri suo, & sic tollit obligationem promittentis. 3. Quando causa finalis, ob quam promissio facta est, non extat: ut si promiseris alteri propter Beneficium, quod putas te ab illo accepisse, cum non acceperis: quia non promisisti nisi ex hac suppositione falsa; & est error in causa finali, seu motivo substantiali.

tiali. Item si talis causa cesset, ut si promiseris aliquid ob paupertatem, & hæc sublata jam sit; nam non intendisti te obligare ad dandum, nisi subsistente causa finali tempore executionis. 4. Quando duo sibi vicissim aliquid promiserunt; & alter non vult promissa præstare, ex c. 3. de Jurejur. & ex reg. jur. 75. in 6. ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*: Nam tunc fit mutua compensatio; & promittens non censetur promississe nisi sub tacita conditione, quòd alter promissum ex sua parte servaret. 5. Si status rerum, & personarum ita mutetur, ut promissor juxta prudentum judicium non censeatur voluisse obligare se in tali eventu: tum quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis; nec habet vim nisi ex intentione, quam expressè, vel implicite habet, dum promittit: tum quia sicut ex reg. jur. 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, si in speciali peterentur*: ita neque in promissione comprehenduntur illi eventus, qui judicio prudentum fuissent excepti, si menti occurrissent. Sic qui promisit se tibi mutuaturum pecuniam, non tenetur stare promisso, si postea hac indigeat ob gravem, & improvisam necessitatem. Ita S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. ibi: *Ad hoc quòd teneatur facere, quod promisit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo,*

do, quia promisit quod habebat in mente sub intellectis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis non implendo, quod promisit, quia eadem conditiones non extant. Nec obstat quod promissio sit jurata: quia Juramentum firmat promissionem tantum secundum intentionem, qua censetur facta, & in eo sensu, quo facta est, non in alio. Quare si promissio habet tacitam conditionem, sive ex mente promittentis, sive ex natura rei, sive ex juris dispositione, aut interpretatione; Juramentum non tollit eam conditionem, sed solum secundum eam firmat promissionem.

Porro cum arctior sit obligatio, & interpretatio promissionis onerosæ, quam gratuita, facilius in gratuita subintelliguntur aliquæ conditiones, quæ ex communi prudentum sensu inesse censentur; nec hæc obligat, cum impleri nequit sine gravi damno non præviso, nec (ut ait S. Antonin.) *Si superveniat causa rationabilis non implendi*: quia, ut supra dixi, in promissione gratuita promittens se solum ex liberalitate obligat, ideoque pendet ab illius voluntate, ut apponat conditionem, vel limitationem, quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari, si superveniat causa rationabilis non implendi.

CAPUT II.

De Donatione.

Q. I. **Q**uid, est quotuplex est Donatio?

Resp. I. **Q** Donatio est datio liberalis, sive doni datio. Donum autem est datum gratuitum, id est, quod neque ex iustitia debitum est, neque alteri obligationem iustitiæ, & fidelitatis imponit, quamvis ex eo oriatur obligatio gratitudinis. Ut donatio valeat, *ex communi*, debet esse deliberata, spontanea, & acceptata, ut dixi de promissione ob easdem rationes: nam *nec ignorans, nec invitus quisquam donat*, l. 10. cod. *de donat.* Hinc qui aliquid per vim, vel dolum accepit, tenetur illud restituere, & tollere, ac resarcire injuriam, restituendo alium in priorem statum, ac libertatem. Imò juxta multos donatio ex metu levi injusto, tanquam causa finali facta, est in foro conscientie nulla: quia donatio ex natura sua exigit, ut fiat sponte, ac liberaliter. Saltem est revocabilis ad nutum donantis.

Resp. II. Donatio dividitur in realem, quæ fit cum traditione doni, unde transfert dominium in donatarium; & in verbalem, quæ fit solis verbis absque traditione doni, & hæc solum parit jus ad rem. 2. In purè liberalem seu perfectam, quæ in donante nullam, ne gratitudinis quidem supponit obligationem; & in remuneratoriam, seu antidotalem, quæ sup-

ponit obligationem gratitudinis, & qua proinde compensantur beneficia, & obsequia gratis collata. Multi autem, quos refert, & sequitur Sanchez, docent, quando alicui prohibentur donationes erga aliquos, non prohiberi donationem remuneratoriam, proportionatam beneficiis, & obsequiis alias non debitis, ex l. i. ff. de donat. ubi dicitur: *dat aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti: Et propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem, Et munificentiam exercent.* Hæc proprie donatio appellatur. Ergo, inquiunt, si quis dat, ut debita naturalis gratitudinis solvat, non est proprie, ac strictè donatio, sed renumeratio. 3. Alia est inter vivos, qua quis donat cum intentione, ut res se vivo sit donatarii: & alia mortis causâ, qua quis sic donat, ut nolit rem nisi post mortem suam esse donatarii, ut sic dicam: *donotibi hanc rem post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo, ne moriar.*

Q 2. *Quinam possunt validè donare?*

Resp. Illi soli, qui habent dominium, & liberam administrationem bonorum: nam qui solum habent administrationem, possunt tantum secundum mentem Domini, & in ejus commodum alienare: qui autem solum dominium habent sine administratione, non possunt propria auctoritate pro arbitrio disponere de suis

de suis bonis. *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare. c. 5. de Jure patron.*

Hinc 1. non possunt validè donare ii omnes, qui non possunt contrahere, de quibus supra.

2. Qui præsunt communitatibus, putà civitati, monasterio, item tutores, & curatores ex bonis pupillorum, & minorum possunt solùm facere eleemosynas, & donationes remuneratorias moderatas, in quibus censeantur rependere utiliter, non liberaliter propriè donare.

3. Maritus ex bonis communibus nihil potest invita uxore donare saltem sine legitima causa, ob quam uxor non sit rationabiliter invita: quia marito sola potestas ea administrandi competit quoad partem ad uxorem pertinentem: at sub facultate administrandi non continetur facultas donandi, nam donatio non est rei administratio, sed amissio, ex l. 7. ff. de donat.

Q 3. *Quanam donationes sunt jure civili invalidae?*

Resp. Sequentes 1. Donatio excedens quingentos Solidos invalida est quoad excessum, nisi insinuetur, l. 36. cod. de donat. verùm circa summam, & modum insinuationis consulenda sunt leges, ac consuetudines locorum. In Gallia ex edicto Henrici II. non valet donatio excedens quinquaginta libras, nisi auctoritate

E e 4

publica

publica insinuata sit. Excipiunt multi quamlibet donationem ad causam piam: quia donatio ad redemptionem captivorum non eget insinuatione, l. cit. & legata ad causas pias non indigent solemnitate per leges ad legata profana requisitas. Hancque esse communem sententiam testatur Julius Clarus apud Lessium. Porro nomine donationis venit remissio debiti liquidi.

2. Donatio omnium bonorum tam futurorum quam presentium inter vivos invalida est: quia per talem donationem homo privatur se testandi potestate, quod leges reprobant tanquam contra bonum ordinem, quem debet esse in Rep. l. 61. ff. de verb. oblig. valet tamen si fiat mortis causa, quia cum possit revocari arbitrio donantis, non aufert testandi facultatem.

3. Donationes conjugum inter se jure communi non sunt validae saltem irrevocabiliter, adeoque ad arbitrium donantis revocari possunt exceptis quibusdam casibus, l. 1. & 3. ff. de donat. inter vir. & uxor. & cap. ult. de donat. inter vir. & uxor. ubi Greg. IX. ait: *Donatio, quae constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta ... firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, &c.* Ratio est, ne conjuges mutuo amore sese bonis spolient cum damno liberorum, & parentum; & ne concordia videatur pretio conciliari. Donationes tamen inter conjuges non revocatae confirmantur alterius

alterius obitu, ex l. 32. ff. & l. 3. cod. hoc tit. & cap. Cit. modo eæ non impediunt, ne liberi suas legitimas partes accipiant, ex l. 1. cod. de inoffic. donat.

4. Donatio patris facta filio nondum emancipato, quæ jure digest. erat nulla, jure codicis est tantum revocabilis, exceptis paucis casibus: unde non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita: quia quoad Filius est sub Patria potestate, censetur veluti una persona cum Patre quoad effectus civiles. Valet autem donatio Matris in Filium, quia Filius non est in potestate Matris, scilicet civili, & in ordine ad effectus civiles.

Not. In his & similibus, ubi agitur de dispositione bonorum, spectandæ, & servandæ sunt leges, ac consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpe à jure communi Cæsareo discrepant: nam cum voluntates subditorum, eorumque bona subjiciantur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune; nemo potest de suis bonis disponere licitè contra leges justas, quæ semper obligant in conscientia; imò nec validè, si sint irritantes.

Q. 4. An donatio acceptata potest revocari?

Resp. I. Donatio facta mortis causâ, in tribus casibus revocatur. I. Si donatorem il-

Ee 5

lius

lius pœniteat. sive expressè, sive etiam implicitè, ut si rem illam alteri donet: quia talis donatio, ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem, *nisi revocetur*. 2. Si ante donatorem moriatur donatarius, donatio est ipso jure revocata, nisi donator promississet se eam non revocaturum, nam tunc juxta varios transiret ad hæredes donatarii. 3. Si donator dederit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacitè revocata donatio sublato periculo: quia censetur facta sub hac conditione, *si non evaserò*, ex tit. *de mortis causâ donat.*

Resp. II. Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas. 1. Ob ingratitude donatarii, l. ult. cod. *de revocat. donat.* & cap. ult. *de donat.* ut si donatori injurias atroces, vel grave rerum ejus damnum, vel vitæ periculum intulerit. Item juxta Doctores si inopia pressum non aluerit. Sed ante sententiam judicis hæc pœna non debetur. 2. Ob prolem postea susceptam, ut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donarit, & postea nascatur proles, l. 8. cod. *de revoc. donat.* quia tunc donatio habet saltem ex dispositione juris hanc conditionem, *si proles non nascatur*. 3. Si sit inofficiosa, hoc est facta contra officium pietatis debitæ liberis, vel parentibus, ut quando per eam filii privantur suâ legitimâ, id est, parte hæreditatis sibi debita secundum leges, l. 1. cod. *de inoffic. donat.* 4. Si quid donatum sit ob causam, non secutâ causâ.

Resp.

Resp. III. Donatio inter vivos acceptata nequit revocari nisi ob causas prædictas, l. 5 & ult. cod. *de revoc. donat.* quia jure naturæ donatarius acquisivit dominium rei donatæ, & traditæ, jus verò ad rem, si nondum sit tradita; nec leges dant jus revocandi nisi ob causas supradictas.

Q. 5. *An donatio facta ad certum finem valeat, si finis ille non præstetur?*

Resp. I. Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum obligare, sed solum allicere animum, vel præbere media ad illum assequendum, si placuerit, valida est donatio, etiamsi finis non sequatur. *Est communis.* ex l. 7. cod. *de condict. ob causas.* quia donatio non est conditionata, sed absoluta, & facta solum ex animo alliciendi ad aliquid. Unde res donata potest acceptari, & retineri à donatario, etiam si non habeat animum præstandi, quod cupit donator. Si puella potest acceptare legatum sibi factum, ut nubat, etsi nolit nubere. Item valet donatio, qua quis donat alteri, ut sibi faveat in aliqua re, quamvis hic non faverit, quia principaliter facta est ad alliciendum, non ad obligandum. Quod verum est, etiamsi donator non donasset, si putasset alium non esse alliciendum? nam adhuc subsistit causa finalis, cum donet, ut possit allicere, non autem sub conditione, si actu alliciat.

Peccat

Peccat tamen graviter foemina, quæ munera acceptat ab amasio ea largiente ad alliciendum ejus consensum ad libidinem, quamvis ipsa nolit consentire ejus pravæ voluntati: nam fovet impurum ejus amorem, ac desiderium, & censetur illud approbare.

Resp. II. Si donator intendat donatarium ad certum finem obligare, donatio corrumpitur, & restitui debet sine non impleto, si illud sit principalis finis donationis. *Est communis. ex l. 8. cod. de convict. ob causas.* nam donator non vult rem esse alterius, nisi posita tali causa finali tanquam conditione.

Q. 6. An dolus, vel error circa causam finalem irritat donationem, & promissionem gratuitam?

Resp. Aff. Est communis. quia donatio, & promissio gratuita fit sub conditione, si causa finalis subsistat; & quia causa finalis est motivum substantiale donationis, & promissionis gratuitæ, quo proinde non subsistente, non subsistit actus: nam actus voluntatis non est sublato motivo volendi. Ergo si sit error circa causam finalem deest tunc volitio donandi, vel promittendi. Sic si quis falsò putans Tertiam esse consanguineam, dotem ei promittat, vel donet, quia est consanguinea, hæc promissio, vel donatio nulla est.

Hinc tenentur ad restitutionem. *x. Quia*

fingi

fingit se habere aliquem conditionem, seu qualitatem, quæ requiritur, ut quis admittatur gratis in aliquod Collegium, vel Hospitale, vel ut accipiat aliquod pium legatum. Item qui fingit se pauperem, ut recipiatur gratis in seminarium fundatum pro pauperibus alendis: nam adest dolus & error circa causam finalem, & conditionem, qua non posita nulla est intentio donandi, nec ullum jus nascitur.

2. Qui accipit aliquid ob causam fictam. 3. Qui se fingit pauperem, tenetur accepta titulo elemosynæ restituere, vel donatori, quia adhuc illius sunt, nam non fuit voluntas dandi nisi vero pauperi; vel pauperibus, quia dum non constat donatorem revocasse voluntatem, censetur perseverare in priori voluntate dandi pauperi: unde tunc ejus voluntatem exequitur.

Secus, si error sit solum circa causam impulsivam, quæ nempe tantum movet ad faciendum, vel dandum promptius, facilius, non autem movet ad dandum simpliciter; quia eâ sublatâ adhuc est voluntas dandi: ut si Petro verè pauperi, sed simulanti pietatem des elemosynam principaliter ob paupertatem.

CAPUT III.

De Mutuo, & Usurâ.

Q. I. Quid est Mutuum, seu Mutuatio?

Resp. Est contractus, quo res numero, pon-

pondere, vel mensura constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi similem in specie, & bonitate, post lapsum temporis, ex l. 2. ff. de rebus credit. & instit. lib. 3. tit. 15:

Dicitur 1. *Res numero, &c.* ut sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum: nam materia mutui sunt res, quæ in iure dicuntur functionem recipere; hoc est, quarum una potest fungere vice alterius, ut vinum vini, pecunia pecunia, & sic substitui pro alia, ex l. cit. 2. *traditur*: quia mutuum traditione perficitur. 3. *Ut statim fiat, &c.* nam per mutuum dominium rei transfertur: unde ex instit. cit. *Mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*. Quare mutuarius sub suo periculo tenet rem mutuam, sed omnes fructus ex ea percepti ad eum pertinent; nam res perit, & fructificat Domino. Hinc mutuum differt à commodato, locato, &c. 4. *Cum obligatione, &c.* per hoc differt à donatione. 5. *Reddendi similem, &c.* per hoc differt à permutatione, in qua res unius speciei datur pro re alterius speciei, v. g. frumentum pro vino. 6. *Post lapsum temporis.* nam est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, alioqui esset inutile mutuuario, & per hoc differt à cambio, ubi pro monetâ aureâ statim redditur argentea ejusdem valoris.

Q. 2. *Quanam sunt obligationes mutuatoris,
& mutuatarii?*

Resp. I. Mutuator tenetur 1. Monere mutuatarium de vitio rei, si quod sit: alioqui tenebitur de damno, cum ei causam dederit. 2. Non repetere mutuum ante tempus præfinitum. Quod si non sit constitutum, non potest repeti, nisi post aliquod tempus iudicio prudentis assignabile, spectatis, circumstantiis, & fine, ob quem datur, quamvis teneatur ante recipere. 3. Non plus exigere, quam valeat res mutuata: nam mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & alioqui esset iniustitia, & usura.

Resp. II. Mutuatarius, ut patet ex natura mutui tenetur 1. Reddere mutuum tempore statuto: quod si non sit constitutus terminus, quando mutuans rationabiliter repetet. 2. Si ex culpa sua non reddat tempore debito, tenetur compensare mutuanti damnum inde secutum, & lucrum cessans, cum sit illius causa iniusta; nisi ex eo quod mutuans tunc non repetierit mutuum, prudenter iudicet terminum prorogasse. 3. Tenetur de omni casu fortuito, ita ut non liberetur, nisi cum mutuator mutuum re ipsa acceperit vel per se ipsum, vel per alium à se designatum: quia tunc res semper manet mutuatarii, & sic ei perit. 4. Tenetur reddere rem ejusdem speciei, & bonitatis; nec sufficit si solvat ejus pretium, nisi alter

alter sponte consentiat, mutuuum enim eadem bonitate quâ datum est, eodemque genere reddi debet, l. 3. ff. *de reb. cred.* neque enim mutuuum est venditio aut permutatio.

Q. 3. *In qua specie, & bonitate res mutuata reddi debet?*

Resp. Seclusa speciali conventionione iusta non potest exigii pecunia eadem in specie physica, sed solum eadem in valore, quem habuit tempore mutui, sive interim valor monetæ auctus fuerit, sive imminutus, saltem si tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa, nec spectata. Ita communiter Theologi teste De Lugo: nam cum in pecunia per se spectetur solum valor extrinsecus, non entitas physica, & ex usu constet speciem monetæ potissimum desumi ex valore, non ex materia, reddendo valorem, quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepisti. In aliis vero rebus, in quibus per se spectatur & intenditur rei entitas, restitui debet in eadem specie physica, v. g. triticum pro tritico, & quidem in eadem mensura, sive pretium eius crescat, sive decrescat, quando tempore mutui hæc mutatio non prævidetur, nec ad eam attenditur: quia cum in iis rebus entitas, & bonitas intrinseca spectetur, reddendo eandem mensuram ejusdem speciei physicæ, & bonitatis intrinsecæ, tantum redditur, quantum acceptum est, & sic servatur æqualitas. Aliud est de moneta, dum
ejus

eius valor accrevit; quia in ea æqualitas valoris non substantiæ spectatur.

Q. 4. *An licet pacisci de reddenda re mutuata in eadem mensura, & quantitate, vel pecuniâ in eadem specie physica?*

Resp. I. Si sit dubium utrum res tempore restitutionis valitura sit pluris, aut minoris, licet pacisci, ut reddatur par mensura rei æquæ in se bonæ, & eam suo tempore accipere, quamvis interim pretium ejus valde creverit, ex cap. ult. *de usur.* quia tunc par est contrahentium conditio, & servatur æqualitas: nam erga utrumque est æqualis spes lucri, & æquale periculum damni. Idcirco licet etiam exigere tot in specie physica nummos, quot dati sunt, sive valor mutetur, sive non, quando utrumque est æquæ probabile.

Resp. II. Si certum vel probabilius sit rem tempore solutionis plus valituram, quam modo, vel valorem monetæ augendum, non licet exigere parem mensuram, vel parem numerum nummorum, sed solum eam mensuram, quæ tunc exæquabit valorem præsentem rei mutuatæ, vel pretium æquale monetæ mutuatæ. Ita Lessius, De Lugo, Salas, & alii multi. Quia alioqui exigeretur ultra id, quod æquivalet rei mutuatæ; quod est usura: res enim tempore solutionis pluris valebit, quam eo quo traditur. Hinc si sex modii tritici nunc

valeant duodecim aureis, non licet totidem exigere, si tempore solutionis valituri sint quindecim.

Excipe nisi statuisses rem, vel monetam tuam usque ad illud tempus servare; nam tunc licet pacisci, ut moneta in eadem specie physica, vel res mutuata cum eo incremento reddatur, deducta æstimatione laboris, periculi, & sumptûs, in eare usque ad illud tempus servanda; nam tunc id exigitur ratione lucri cessantis.

Q. 5. An Filius-familias, qui sub patria potestate constitutus mutuum accepit ab alio pecuniam sine consensu patris, tenetur eam restituere post mortem Patris?

Resp. Juxta multos, imò communem sententiam teste Lessio non tenetur, etiam in conscientia, si eam in ludis, comotationibus, aut aliis rebus inutilibus consumpsit, & non putabatur esse sui juris: quia jure civili nempe senatusconsulto Macedoniano in Gallia vigente, tollitur omnis obligatio etiam naturalis ex tali mutuo: nam hoc in odium, ac pœnam sic mutantium, & ob bonum commune, nempe ad tollendam occasionem multorum malorum, ac scelerum fuit statutum à Rep. seu principe habente dominium altum in bona subditorum relatè ad bonum commune. Et alioqui lex non

non assequeretur finem suum, nec satis provi-
sum esset securitati parentum, & aliis incom-
modis, ac criminibus ex illis mutuis sequi na-
tis. Unde huic privilegio Filius familias re-
nunciare non potest, quia non in ejus favorem
præcisè, sed præcipuè parentum, & ad aver-
tenda gravia mala concessum est. Nec hoc
mutuum confirmari potest juramento, cum
sit in detrimentum tertii, & boni publici. Et
jurans potest saltem petere relaxationem jura-
menti, quâ obtenta ad nihil tenebitur. Idem
dic si Filio familias merces fuerunt venditæ
credito, vel aliæ res mutuò datæ in fraudem le-
gis, ut scilicet ex illis venditis pecuniam com-
pararet, l. 3. ff. ad senat. consul. maced.

Q. 6. Quid est usura, & quotuplex?

Resp. I. Usura latè sumpta est quodlibet lu-
crum sive licitum, sive illicitum, vel fructus ex
aliqua re perceptus. Strictè sumpta, ut hîc
sumitur, est lucrum temporale præcisè ratione
mutui perceptum, vel quasitum: sive lucrum
immediatè ex mutuo proveniens, aut inten-
tum.

Dicitur I. *Lucrum temporale*, id est, pecu-
nia, vel quidlibet pretio æstimabile; nam (ut
ait S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2.) *Secundùm Phi-
losophum omne illud pro pecunia habetur, cujus
pretium potest pecuniâ mensurari.* Hinc non est
usura mutuare ad acquirendam amicitiam

alterius : quia hæc non est pretio æstimabilis.

2. *Ratione mutui*, sive expressi, ac formalis, sive virtualis, ac impliciti. Unde lucrum aliunde proveniens potest esse injustum, nec tamen usurarium, ut excessus justii preni ex re vendita. E contra quidquid pretio æstimabile ultra sortem reddendam, sive ante, sive post mutuum datum, exigitur, vel accipitur tanquam ex mutuo debitum, usura est. Mutuo tamen gratis dato, si quid sponte, ac liberaliter offeratur, id mutuans licitè accipit, non quasi exigens nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. ait S. Thom. q. 78. a. 2. sed in praxi non licet aliquid accipere à pauperibus, & rarò ab aliis licet: quia rarò donant sponte, ac liberaliter; sed plerumque dant solùm, vel ad ulteriorem dilationem solutionis obtinendam, vel ex metu, ne aliàs mutuum deinceps recusetur.

Resp. II. Usura multiplex est, scilicet realis, mentalis, aperta, & palliata. Realis est ea, quæ in mutuo deducitur in pactum sive expressum, sive implicitum: ut cum mutuans expressè, vel implicitè declarat se velle, aut expectare aliquid suprâ sortem. Mentalis est, cum quis mutuat ex intentione aliquod lucrum ex mutuo percipiendi, talem intentionem non significans

ficans ei, cui mutuatur, licet eam exterius exequatur sed occultè, & præcisè mutuando. Unde usura alio sensu dicitur mentalis, quàm alia peccata dicantur mentalia; hæc enim sic vocantur, quamdiu actu externo non consummantur: at usura dicitur mentalis, quatenus nullum pactum supponit, quamvis datione mutui, & receptione lucri exterius impleatur; sola enim voluntas percipiendi lucrum ex mutuo, si mutuum non detur, est usura purè mentalis.

Usura aperta est ea, quæ percipitur ex mutuo explicito cum pacto expresso lucri. Palliata seu implicita est ea, quæ provenit ex mutuo implicito ac virtuali, latente sub alio contractu, v. g. venditionis, depositi, &c. Qui tamen sit, vel includat virtualiter mutuum. Unde est vera usura, sed velata aliquo prætextu: ut si deponas apud Titium aliquid in pondere, numero, vel mensura consistens, data ei facultate utendi, & ad libitum disponendi, cum pacto ut pro usu aliquid ultra capitale solvat: nam tunc est re ipsa mutuum, l. 9. ff. de rebus credit. & sic lucrum inde proveniens est usura.

Q. 7. An & quo jure usura est prohibita?

Resp. Quælibet usura omni jure prohibita est. Et i. quidem Jure divino positivo Ezech. 18. ubi Deus de dante ad usuram, & amplius

Ef 3

acci-

accipiente ait: *non vivet, cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur.* ex Psal. 14. *quis habitabit in tabernaculo tuo... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* quem locum de praecepto explicat, Conc. Nie. 1. c. 17. & Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Equidem (ut notat S. Thom.) mutuum dare potest esse interdum consilium; sed lucrum ex mutuo non quarere semper est praeceptum; sicut in illo, Ps. 75. *vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Prius verbum continet consilium, posterius verò praeceptum. Quare Conc. Gener. Later. 2. cap. 13. ait usuram divinis legibus in veteri, & novo testamento prohibitam esse. Idem docet Conc. Gener. Later. 3. cap. 25. & Conc. Gener. Vienn. c. *ex gravi.* sic definit: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat; exercere usuras non esse peccatum, decernimus, eum velut Hereticum puniendum.*

2. Jure divino naturali, ut docet communis sententia Doctorum: nam recta ratio dicit esse illicitum, & contra Justitiam commutativam, in contractu, ubi servanda est aequalitas, plus exigere, vel accipere vi illius, quam valeat res quae datur: nam in hoc est inaequalitas, ideòque injustitia. At aliquid supra sortem, seu rem mutuò datam accipere ratione mutui, est plus accipere, quam valeat res data, ut patet: nam sors reddenda, iam est aequalis valoris cum re mutuata. Unde ipsi Ethnici solo
lumine

lumine naturali norunt usuræ malitiam, ut Plato, Aristot. Cicero, Cato, Plutarchus, &c. Adde quòd ex S. Thom. 1. 2. q. 108. a. 1. & 2. & ex consensu Theologorum omnia præcepta divinæ Legis Evangelicæ sunt juris naturalis, præter præcepta de Sacramentis, & de fide.

3. Jure Canonico, ut patet ex toto titulo de usuris, & ex pœnis contra usurarios statutis.

Obj. 1. Deus permisit Judæis, ut usuras acciperent ab extraneis, Deut. 23. *Non sceneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno.*

Resp. Deus non permisit usuram propriè dictam nempe lucrum ratione mutui proveniens; sed ad summum ut supremus bonorum omnium Dominus occasione mutui Judæis concessit dominium rei additæ forti, sicut tradidit illis vasa Ægyptiorum. Unde Judæi auctarium non vi mutui, sed vi donationis divinæ accipiebant. Porro hanc concessionem multi restringunt ad illos alienigenas, quibuscum Judæi justum bellum gerebant.

Dixi, *Ad summum*: quia S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 2. docet, id non fuisse eis concessum, ut licitum, sed duntaxat toleratum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant.

Obj. 2. Montes pietatis, qui sunt cumulus pecuniarum publica auctoritate institutus ad mutuandum pauperibus, approbati sunt à

Conc. Later. 5. & tamen in illis aliquid exigitur supra sortem.

Resp. Illud auctarium non exigitur ratione mutui, sed damni emergentis, seu pro eorum impensis, & indemnitate duntaxat, ut expresse declarat Conc. Later. 5. nam ad conservationem, & administrationem horum montium conducuntur ministri, quibus debetur aliqua merces; quæ si sumeretur ex ipsa sorte reddenda, brevi montes illi exhaurirentur; & sic damnum emergeret ex mutuo. Cum autem montium conservatio, indemnitas, & administratio ordinetur ad utilitatem accipientium mutuum, ut semper paratam pecuniam invenire possint absque necessitate adeundi usurarios cum majore suo damno, æquum est, ut pro ea aliquid conferant; nam qui commodum sentit, onus quoque sentire debet, ex reg. jur. 55. in 6.

Obj. 3. Mutuans privat se potestate utendi, & fruendi re mutuata, quam alias haberet.

Resp. Non ideo licet aliquid supra sortem exigere pro privatione ista: quia sicut potestas illa non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate illius rei. Ita privatio illius potestatis non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate privationis ipsius rei. Privatio autem rei sufficienter compensatur redditione ejusdem, & carentia periculi illius, quamdiu non redditur, cum mutuanti, ut supponitur, ex privatione rei nullum lucrum cesset

set, nec damnum sequatur. Nec dicas posse aliquid exigi propter usum rei mutuatae; nam per se injustum est vendere alteri usum rei non suae, sed hujus alterius; per mutuuum enim transfertur in mutuatarium rei mutuatae dominium: ac proinde usus rei pertinet ad illum, praesertim cum usus rerum, quae mutantur non sit aestimandus seorsim ab illis, sitque illarum consumptio, vel alienatio.

Obj. 4. Jus civile probat usuras, *digest. & cod. de usuris.*

Resp. I. Cum S. Thom. usurae non probantur, sed tolerantur, seu non puniuntur ad impedienda majora mala, sicut tolerantur meretrices. *2.* Jus civile potest intelligi de usuris late sumptis, nempe de pecunia, quae ultra sortem accipitur ob aliquod interesse scilicet vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens. *3.* Si quaedam leges sic explicari non possent, nec supponerent titulum justum, correctae sunt per Jus Canonicum, & sunt per se injustae, ideoque nullae.

Obj. 5. Ex S. Thoma potest aliquid accipi pro usu pecuniae.

Resp. Loquitur de usu pecuniae locatae, non autem mutuatae; sic enim 2. 2. q. 78. a. 1. ad 6. ait: *Usus principalis pecuniae est distractio pecuniae in commutationes: unde non licet ejus usum vendere. Tamen potest esse aliquis secundarius usus pecuniae argenteae, ut puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad po-*

neandum loco pignoris: & talem usum pecuniæ licitè homo vendere potest. quia scilicet vendens non mutuatur, sed locat: unde pecuniæ dominium, & periculum retinet.

Q. 8. Quenam propositiones usuræ palliatæ damnatæ sunt?

Resp. 1. Alexander VII. hanc damnavit: licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Est falsa: nam obligatio non repetendi sortem ante certum tempus etsi longum, est intrinseca mutuo postulato: est enim de ratione mutui in communi, ut res mutuata repeti nequeat nisi post certum tempus varium pro varietate, & exigentia causæ petendi mutui, cum hoc sit necessarium ad finem mutui qui est gratis impendere subsidium utile proximo: alioqui inane esset mutuum, nec beneficium. Igitur obligatio non repetendi sortem ante hoc tempus præfinitum est intrinseca huic mutuo in individuo: & si terminus sit ad longum tempus, tunc trahitur ad longum tempus obligatio intrinseca mutuo; & tunc est mutuum longum, seu in longum tempus, sicut mutuatio summæ magnæ est mutuum magnum. Deinde talis obligatio, secluso aliò extrinsecò, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendam rem mutuatam post tale tempus, & subeundum

toto

toto illo tempore illius periculum. Hinc nec licet aliquid exigere, eo quod mutuans terminum constitutum proroger: quia est prorogatio mutui, quod ex natura sua est gratuitum; & quia nihil potest exigi ratione dilationis solutionis.

Resp. II. Innoc. XI. damnavit has duas propos. 41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Est falsa: nam centum libræ per se, & secluso omni extrinseco, nec pluris nec minoris valent hodie, quam infra annum, cum semper maneant eadem & earum valor præcisè per tempus non crescat. Nec pecunia præsens est utilior possidenti, si mansura fuisset otiosa in arca. Deinde alioqui usura non esset illicita, & cuilibet liceret exigere auctarium vi mutui, quod fidei repugnat: nam in omni mutuo essentialiter datur pecunia præsens non nisi in futurum reddenda.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. Est falsa. Quidquid enim rependi debet ex benevolentia, & gratitudine, omnino spontaneè & liberaliter rependendum est, nec exigi potest. Et gratitudo non obligat ad aliquid certum, ac definitum, sed potest imple-

ri va.

ri variis modis. Deinde imponitur nova obligatio ex pacto pretio æstimabilis, quæ est contra naturam remunerationis gratuita, ac liberalis, cùm imponat necessitatem pacti, *nemo enim in necessitatibus liberalis existit.* l. 18. ff. de adm. legat.

Q. 9. Num saltem licet exigere aliquid ultra sortem à divitibus, & iis qui ex pecuniis mutuatis magna lucrum faciunt, ut sunt Judæi, mercatores, &c.

Resp. Neg. Ita expressè Conc. Mediol. 1. Sub Carolo, & Clerus Gallicanus Meloduni Congregatus An. 1579. Quia usura in scriptura generaliter, ac sine distinctione pauperis, & divitis prohibetur; & quia est per se mala, ac injusta. Quamvis enim non tenearis divitibus mutuare, tamen posito quòd mutues, non plus potes exigere, quàm dedisti; & pecunia mutuata jam non est tua, sed ejus, cui data est, ad quem proinde pertinet totum lucrum ex ea perceptum. Quòd autem tua pecunia sit ipsis tam utilis futura, hoc provenit ex eorum conditione, cura, & industria, non à te, nec ab ipsa præcisè pecunia, quæ de se sterilis est. Sic non licet carius merces vendere emptori, qui ex iis magnum suam industriam lucrum facturum est.

Q. 10.

Q. 10. An licet tutoribus auctarium exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eò quòd per leges cogantur eorum bona integra reddere, & simul ex eis lucrum facere in commodum eorundem sub pœna compensationis?

Resp. Neg. Quia cùm usura sit intrinsecè mala, & à Deo absolutè, ac indistinctè prohibita, nullam ob causam potest esse licita. Ita Conc. Mediol. 1. Et Clerus Gallican. supra laudat. Constat etiam ex cap. 4. de usur. ubi Alex. III. ait: Cùm usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus; quia cùm scriptura sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri; multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vitâ captivi, usurarum crimine involvatur. Porro tutores nihil periclitantur, si ex consilio consanguineorum pupilli, & iudicis auctoritate has pecunias impendant, aut fundi frugiferi emptione, aut in contractu censûs, vel societatis.

Q. 11. An est usurarium imponere ratione mutui aliquod onus, seu obligationem novam ultra sortis solutionem?

Resp. Affir. Est communis. Quia qualibet obligatio ultra sortem reddendam imposita ex pacto est onus pretio æstimabile, cùm privet liber-

libertate, quam alter aliàs haberet, & aliquod incommodum per se pariat: ideòque est iniustum nam per sortem reddendam compensatur ad æqualitatem id totum, quod mutuans dedit. Ergo id, quod amplius exigitur, seu imponitur, iniuste exigitur, & imponitur ratione mutui, quòd est essentialiter gratuitum. Enim verò, ut ait Lessius, ex vi mutui præcisè non licet obligare nisi ad æquale: at fors est æqualis rei mutuatae, & redditio sortis est æqualis actui mutuatiõnis. Ergo ex vi hujus contractus non licet obligare ad aliud, quàm ad redditionem sortis. Quare usura est, si ea lege mutuum des, ut alter etiam aliquid iusto pretio tibi vendat, vel à te emat: ut tibi in posterum remutuet, in tuo molendino molat, domum tuam conducat, vel suam locet: ut partem mutui in mercibus, quibus non indiget, recipiat; ut reddat aliam rem diversæ speciei, v. g. frumentum pro pecunia: ut agrum tuum etiam iusto pretio colat, ut tibi, vel aliis Beneficium Ecclesiasticum, vel Officium conferat, ut commendet te alteri: ut præstet aliquod munus vel à lingua, vel à manu, vel ab obsequio: ut non solvat ante certum tempus, nisi aliàs damnum timeretur ex mutuo; nam onerosum est non posse se debito liberare prohibito: imò ut præstet id, ad quod tenetur ex charitate, quia tunc ei imponitur nova obligatio nempe justitiæ, ratione cuius teneretur de damno secuto.

Licet

Licet tamen mutuum dare ea lege, ut alter tibi solvat summam aliunde tibi ex Justitia debitam, vel ut desistat à vexatione injusta: quia hoc non est lucrum, sed debitum jam ex Justitia; nec imponitur ei obligatio nova, ad quam antea non teneretur: lucrum enim dicitur, cum quis acquirit, id quòd aliàs ad se ex Justitia non pertinebat. Item licet exigere pignus, vel hypothecam pro securitate mutui; nam hæc affecluratio debita est.

Q. 12. Nunquàmne licet in mutuo auctarium exigere?

Resp. I. Duo sunt tituli extrinseci mutuo, ob quos licet aliquid ultra sortem exigere, qui comprehenduntur nomine interesse, l. un. cod. de sentent.

1. Est damnum emergens, cum quis in bonis jam acquisitis jacturam patitur, quia mutuatur: ut si pecuniam refectioni ædium, vel solutioni debitorum destinatam mutues alteri hanc petenti: unde fit, ut ædes tuæ deteriores fiant, aut corruant; vel si ipse sub usura cogaris pecuniam accipere ad debita solvenda. *Ita communis.* quia quilibet habet jus vitandi damnum; & nemo tenetur cum damno proprio beneficium alteri præstare, nisi is sit in necessitate, cui teneamur cum tali damno subvenire.

2. Est lucrum cessans, cum nempe mutuans ob mutuum privatur lucro justo, quòd certo
vel

vel saltem probabiliter facturus fuisset expe-
cunia mutuò data, v. g. merces, fundum, cen-
sum, aut quid simile emendo, vel aliter nego-
tando. *Est communis.* Prob. Quia 1. tunc
nihil exigitur supra sortem ratione mutui, sed
ratione iusti tituli mutuo extrinseci, nempe ob
compensationem jacturæ lucri probabiliter
sperati, quæ justè exigi potest, ne mutuans ex
beneficio à se in alium collato damnum perci-
piat: nec enim æquum est, *ut quis d. spendium
pariatur, unde videtur premium meruisse, cap. 2.
de fidejuss. 2.* Spes lucri probabiliter futuri est
pretio æstimabilis, nam spes probabilis captu-
ræ piscium ex jactu restis justè vendi potest,
l. 12. ff. de act. empt. & l. 8. de contrah. empt.
dicitur quòd *spei emptio sit.* Ergo mutuans
justè aliquid exigit pro illa spe probabili, &
pretio æstimabili, quâ se privat in gratiam alte-
rius. Imò omisio rei probabiliter speratæ est
damnum non solum probabiliter futurum,
sed etiam actuale: nam cum spes lucri proba-
bilis habeatur actu, & sit pretio æstimabilis, il-
lius jactura est quoddam damnum actuale
emergens, utpote jactura boni actu habiti.
Brevius, cessatio lucri est in æstimatione
prudenti damnum quoddam pretio com-
pensabile: nam per illam fit, ut quis mi-
nùs habeat, quàm habiturus esset. Et ideo
juxta omnes, qui furatur, tenetur restituere
lucrum cessans, 3. Pecunia ut subest indu-
stria, & tali destinationi quæstuosæ plus valet
possidenti, quàm in se considerata. 4. Ex cap.

6. *de usur.* ubi dicitur posse ratione lucri cessantis vendere merces ultra currens pretium, si venditor voluisset illas reservare in aliud tempus, quo plus esse valituras verisimile esset.

Porro S. Thom. 2 2. q. 78. a. 2. ad 1. vult solum nihil posse exigi in compensationem lucri merè possibilis, & remoti; vel non posse tantum exigi in compensationem lucri probabiliter sperati, quantum est ipsum lucrum, quod speratur. Neque enim negat jacturam lucri probabiliter sperati esse causam justam exigendi compensationem: nam q. 62. a. 4. ait: *si quis damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur, quod erat in via habendi. Tale damnum non oportet recompensare ex aequo; quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu.* Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundam conditionem personarum, & negotiorum. Idem docet in 4. dist. 15. q. 1. a. 5.

Resp. II. Ex communi ut possit justè aliquid ultra sortem exigi ob damnum emergens, quinque requiruntur. 1. Ut mutuum sit vera causa damni, alioqui fictus esset titulus, & vera usura. 2. Ut damnum proponatur mutuatario: nam liberè consentire debet in illam compensationem mutuo extrinsecam; & alioqui admonitus posset fortè abbi sibi providere sine hoc onere. Quare si admonitus non fuit non tenetur damnum compensare etiamsi postea eveniat, modò non fuerit per moram culpabilem causa illius: nam tunc non tene-

Tom. II.

Gg

tur

tur ratione culpæ, neque rei acceptæ, neque pacti additi mutuò, neque etiam contractûs mutui, mutuum enim est contractus stricti juris, ex natura sua obligans solum ad reddendam sortem. 3. Ut auctarium non sit majus damno orto ex mutuo: alioqui excessus esset usurarius, nam exigeretur ratione mutui, & sine justo titulo. 4. Ut compensatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum prævidetur, quia tunc solum urget titulus. 5. Ut alter non cogatur ad aliquid solvendum, quidquid evenerit, si velit se obligare ad solvendum totum damnum emergens, quod re ipsa contigerit: alioqui ei imponeretur onus, ad quod ex mutuo non tenetur, cum solum possit obligari ad reddendum mutuantem indemnem.

Resp. III. Ut auctarium justè exigì possit ob lucrum cessans, *ex communi* requiruntur hæc conditiones. 1. Ut mutuum sit vera causa, cui lucrum cesset: ac proinde ut mutuans ante petitum mutuum habeat facultatem proximam lucrum ex pecunia faciendi aliâ viâ justâ, & pecuniam, quam mutuât, jam destinârit negotiationi, vel contractui justo quaestioso, nullasque aliàs habeat pecunias otiosas, id est, non destinatas lucro justo faciendo, nec familiaris sustentationi, nec filiarum doti, nec provisioni casuum fortuitorum, quos prudens Paterfamilias cavere debet: nam revera lucrum ei non cessat ob mutuum, qui antequam peteretur, non destinaverat pecuniam suam

nego.

negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, vel censui, vel societati; aut non habebat facultatem proximam justum lucrum ex pecuniâ faciendi; aut habebat alias pecunias otiosas: nam tunc ex pecunia, quam mutuât, nullum lucrum fecisset: ideoque talis nihil potest exigere ratione hujus tituli, utpote non extantis. Idem dicitur de eo, qui abstinens à negotiatione interim se applicat alteri rei nec molestiori, nec minùs quæstuosæ, cui vacare non potuisset negotiando: nam lucrum cessans per omissionem negotiationis compensatur per aliud lucrum, quod negotiando consequi non potuisset: & sic ei lucrum non cessat ex mutatione, quæ revera ab æquali lucro eum non impedivit. 2. Ut lucrum sic certum, aut probabile: nam si sit solum possibile, non est pretio æstimabile, cum merè possibilium ratio non habeatur; & in æstimatione morali potentia remota lucrandi ex pecunia nihil addit pecuniæ spectatæ secundum se. 3. Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, & in illius compensationem consentiat: alioqui ad illam non tenebitur, nisi per moram culpabilem solvendi fuerit illius causa, ob rationem supra dictam; & quia onus extrinsecum contractui imponi non potest contrahenti sine illius consensu. 4. Ut non exigatur totum lucrum: quod speratur, sed solum quantum spes illius judicio prudentum valet, deductis sumptibus, & æstimatione periculi ac laboris: nam res so-

lūm sperata non est tanti valoris, quanti habita in se ipsa, seu jam existens, propter pericula, & impedimenta, quæ evenire possunt: sic semen sparsum in agro minus valet, quàm mellis ipsa, quæ speratur. 5. Ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed solūm pro tempore, quo lucrum fuisset: nam qui v. g. mutuatur centum, & statim accipit decem pro lucro cessante, jam non mutuatur alteri centum, sed solūm nonaginta, solūm enim nonaginta retinet mutuatarius; & tamen mutuans, tantūdem exigit pro lucro cessante ex nonaginta, quantum ex centum: quod est injustum, & usurarium, cū tunc lucrum ei solūm ex nonaginta cesset. Deinde quod pro interesse solvitur, eidem subrogatur. At ejus, quod nondum extat, subrogatio exigi non potest.

His adde, ut quis excusetur ab usura coram Deo ratione hujus tituli: requiritur ut mutuet animo gratificandi proximo, non autem spe commodioris lucri: nam si malet mutuare, quàm negociari, intenderet principaliter lucrum ex mutuo, & sic peccaret. Quare, ut ait Sylvius, requiritur, ut is qui mutuatur, non sponte subtrahat suam pecuniam à negotiatione, priusquam mutuet, intendens proprium commodum, & malens mutuare cum certo lucro, quàm negociari cum incerta spe lucri: sic enim fictè pacisceretur de lucro cessante, cum pecunia jam subtracta sit à potentiâ proximâ lucrandi, utpote nec secundum rem,

rem, nec secundum voluntatem ejus exposita negotiationi, aut destinata contractui justo quaestioso: atque adeo lucrum, si quod cessat, non cesset ex mutuo, sed ex eo, quod negotiari noluerit, aut aliter contrahere. Idem docet Toletus asserens Doctores convenire quod cum quis sponte alteri offert suas pecunias mutuo, nec coactus nec rogatus, non potest licite lucrum ab alio exigere, cum ipse sponte suas pecunias a negotiatione auferat.

Not. Non licet id quod in contractu mutui ob interesse exigitur, convertere in sortem, & ex eo aliquid ultra summam ex quovis titulo exigere: nam hoc prohibetur in Jure L. 28. *cod. de usur.*

Q 13. *An haec in mutuo licita est pactio, ut mutuatarius, si ad terminum praestitutum non restituerit, aliquid solvat in poenam suae morae?*

Resp. Ex communi per se licita est positis certis conditionibus. Quia debitor, qui est in mora culpabili, dignus est poena; cum peccet contra Justitiam non solvendo debitum tempore praefinito. Ergo potest cum ejus consensu ei imponi poena, sicut solet imponi ei, qui a contractu resilierit, contrahentes enim cum sint suarum rerum Domini, possunt ad majorem contractuum firmitatem, & eorum

implendorum certitudinem sibi pœnam conventionalem imponere, & promittere, ex cap. 4. de arbit. & l. 14. cod. de pact. omne autem promissum acceptatum servari debet. Sed ut hoc sit licitum, ex communi ista requiruntur. 1. Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola voluntate sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur tali tempore, an non: vel si optes non solvi: vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas; tunc pœna apposita est velamen usuræ, & revera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2. Ut debitor verè sit in culpa non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest julle imponi, nec exigi pœna, ex c. 2. de constit. & l. 2. cod. de pœnis. Hinc pœna non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est, difficultatem tantam, ut creditor censetur irrationabiliter invitus circa solutionis dilationem. 3. Ut pœna sit moderata secundum mensuram culpæ, & rei mutuatae. alioqui esset injusta, & iniquè cogeretur alter in eam consentire; ideòque non potest peti quoad excessum. Hinc pactum, ut pignus sit creditoris si certo tempore debitor non solverit, est prohibitum l. 1. & 3. cod. de pact. pignor. & cap. 7. de pignor. Quòd si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantum pro
ratione

ratione partis non solutæ cap. 9. *de panis*. Idem die si mora non sit notabilis, nam si per bi-
duum, vel hebdomadam ultraterminum præ-
finitum solutio differatur, ordinariè non debet
æstimari culpa digna pœnâ constitutâ saltem
totâ. *Less. De Lugo, &c.* Pœna autem conven-
tionalis, positis his conditionibus debetur ante
omnem sententiam. Quia debetur ex vi pacti
justi; & hæc est intentio contrahentium, ut
ipso jure transgressor pœnam solvere teneatur
sine necessitate judicem adeundi cum sumpti-
bus, & molestiis, saltem si petatur: sicque
communis hominum sensus intelligit. At
justapactio jure naturali, si obligat in consci-
entia ante omnem sententiam. Multi tamen
putant talem pœnam solvi non debere ante-
quam petatur expressè, vel tacitè. Quia mu-
tuans, si non petat solutionem pœnæ cum faci-
lè possit, censetur eam condonare; & pœna
videtur imponi sub hac tacita conditione, si
petatur.

Q. 14. *An licet aliquid ultra sortem exigere ra-
tione periculi ejusdem sortis?*

Resp. I. Nihil licet exigere à pauperibus ra-
tione periculi sortis orti ex eorum inopiâ.
Quia I. tale periculum est intrinsecum huic
mutuo in actu individuo: sive tali mutuo ex
natura sua accessorium est: accessorium au-
tem sequitur naturam principalis ex reg. 42.

Gg 4

jur.

jur. in 6. ergo cum nihil possit exigi pro ipso mutuo, ita nec pro tali periculo. 2. Cum charitas obliget ad illis mutuandum, ut eorum necessitati subveniatur, obligat quoque, ut id fiat sine ullo eorum gravamine, ideoque ut subeatur gratis hoc periculum: alioqui non sufficienter levaretur eorum egestas. 3. Alioqui possent maximè opprimi pauperes, & eo plus ab iis exigi posset. quo egentiores sunt, ideoque digniores majore subsidio, non gravamine. 4. S. Congregatio Cardinalium infra laudanda permittit aliquid accipi solum ratione periculi prout in casu à Missionariis propositum erat, scilicet quod oriebatur ex culpa infidelitate, & injustitia mutuatarii, non autem ex ejus inopia.

Resp. II. Multi docent licere aliquid ultra sortem pacisci, & exigere ratione periculi mutuo extrinseci. Probant I. ex decreto S. Congregationis de propaganda fide ab Innoc. X. & a Cabassut, relato: *in Sinarum regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Queritur utrum Chinesibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta regni lege taxatam quantitatem accipere? Et causa dubitandi est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium*
fit

sit coram iudice repetere, vel propter alia hujus-
 modi. Sic respondit S. Congregatio: Censuit
 S. Congregatio Cardinalium S. R. E. ratione mu-
 tui immediate, & precise nihil esse accipiendum
 ultra sortem principalem: si vero aliquid reci-
 piant ratione periculi probabiliter imminentis,
 prout in casu, non esse inquietandos, dummodo
 habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualita-
 tis ejusdem, ac servata proportione inter pericu-
 lum, & id quod accipitur. Et Innoc. X. præce-
 pit omnibus Millionariis sub excommunicatio-
 ne lata sententiæ, ut omnia responsa hujus
 decreti observarent, & illis, uterentur, donec
 sua sanctitas, vel sedes Apostolica aliud sta-
 tuerit. 2. Quia probabile periculum foris
 mutuo extrinsecum, quod icilicet nascitur ex
 eo, quod detur homini decoctori, vel injusto,
 qui aliunde habet bona saltem in spe certa, est
 tali mutuo separabile nempe per pignus, aut
 hypothecam, quam potest dare; & simul est
 pretio æstimabile: nam ex S. Th. q. 77. a. 4.
 ad 2. licitum est carius vendere propter peri-
 culum, cui venditor se exponit transferendo
 rem de loco in locum. Idem dicunt de extra-
 ordinariis difficultatibus, laboribus, impensis,
 molestiis probabiliter in recuperanda sorte
 subeundis ex culpa mutuatarii, eo quod hæc
 sint mutuo extrinseca, & pretio æstimabilia.

Sed ut hoc titulo aliquid possit justè exigere,
 has requirunt conditiones. I. Ut periculum
 sit verè probabile, & extrinsecum mutuo, ne

hoc prætextu pallientur usuræ: quale non est quoties mutuarius est industrius, verax, iustus, & de quo non datur prudens præsumptio, quod non sit soluturus. 2. Ut in hoc auctarium consentiat mutuarius. 3. Ut mutuans non compellat illum ad secum paciscendum de periculo, sed ei relinquat libertatem affecurandi sortem per pignus, hypothecam, vel alium fideiussorem: alioqui sine causa imponeretur illi onus pretio æstimabile, ad quod non obligatur, quod est usurarium. 4. Ut non plus exigatur quàm iudicio communi prudentum valeat tale periculum subeundum, habita ratione quantitatis summæ mutuatæ, & magnitudinis periculi servatæque proportionis inter periculum & auctarium.

Nec obstat, inquiunt, cap. *naviganti. de usur.* ubi: Greg. IX. ait. *Naviganti vel eunti ad mundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquando ultra sortem, usurarius est censendus.* Nam censetur usurarius, quia supponitur noluisse mutuare nisi ea conditione, ut ipse periculum sortis certo pretio in se susciperet, & sic sine justa causa imposuisse mutuatorio sine justa causa onus pretio æstimabile, privando eum libertate affecurandi sortem aliâ viâ commodiore, nempe per pignus, vel fideiussorem. Alii putant mendum in textum irrepsisse, & legendum esse, *usurarius non est censendus.* ob verba immediatè sequentia: *ille quoque, qui dat de-*

cem

em solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet plus valeant, utrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valitura, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc uirarius reputari. Particula, quoque inquit, paritatem, & conformitatem sonat, adeoque indicat Pontificem velle neutrum censendum esse usurarium: si enim de uno vellet, & non de altero, dixisset ille e contra, ille tamen. Ita Barbosa, Layman, &c.

Si objicias 1. Auctarium non esse medium aptum ad tollendum sortis periculum, imò illud augere. 2. Inde sequi posse aliquid exigi pro periculo auctarii ipsius, & sic in infinitum, cum illud etiam periclitetur. 3. Mutuatarium teneri periculum illud tollere redditione sortis. 4. S. Congregat. & Innoc. X. illud solum tolerare, cum dicat non esse inquietandos.

Respondent ad 1. Auctarium illud non exigi ad tollendum periculum futurum, sed pro periculo præsentis, & damno quodam actu existente, quod actu subit mutuans, dum pecuniam in manu sua certam exponit manui periculosa, in qua est minoris valoris, quam in sua. Nec auctarium augere periculum sortis, nam mutuans quotannis recipiens parum ob periculum, quamvis postea sortem amittat, minus damnum patietur; & interea mutuatarius poterit lucrari ex mutuo ad sortem solvendam. Ad 2. illud auctarium speratum licet

licet periclitans, esse sufficientem compensationem, ideoque nihil posse exigi pro illius periculo. Ad 3 restitutione sortis non tolli periculum, quod ante illam subivit mutuans, & quod erat pretio æstimabile, sed jam non continuari. Ad 4. negant id tolerari tantum, nam quærebatur, an id esset licitum, & respondet non esse licitum ratione mutui, sed ratione periculi propositi non debere inquietari. Sanè si id jure naturali esset illicitum, deberent Missionarii monere, & impedire ne quid tale exigatur.

Q. 15. An lex, vel consuetudo Provinciae est titulus legitimus aliquid ultra sortem exigendi?

Resp. Neg. Si nullus alius adsit titulus iustus. Quia cum perceptio lucri ex mutuo sit jure divino vetita, nullo alio jure potest esse licita. Igitur lex, quæ permittit ex quovis mutuo aliquid ultra sortem, v. g. 5. pro centum exigere, & de eo pacisci, imò præcipit iudici, ut mutuatarium compellat ad hoc augmentum persolvendum mutuanti, semper præsumit, & supponit titulum interesse, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens. Quare si nullum re ipsa ex mutuo lucrum cesset, vel damnum sequatur; tunc nihil potest in conscientia ultra sortem exigere, & accepta restituere debent. Item non licet plus accipere, quam fit

fit lucrum cessans, vel damnum ortum ex mutuo, etiamsi plus lege constitutum sit; nam tunc lex vel sententia iudicis nititur falsa præsumptione. Neque enim est intentio legis, nec potest esse, ut aliquid accipiatur ratione mutui.

Idem dic de lege, & de sententia iudicis; qua mutuatori adjudicatur aliquid ultra sortem à tempore interpellationis suæ, in compensationem interesse: nam si nullum lucrum cessans, nec damnum emergens, vel non tantum patiatur mutuans, nihil aut non tantum potest accipere: quia tunc sententia iudicis nititur falsa præsumptione, unde non dat verum jus. Quod si adjudicaretur aliquid in pœnam dilatæ solutionis, nihil etiam posset accipi, si revera debitor non fuit in culpa: quia omnis pœna iusta supponit culpam. Imò sunt, qui præter moram culpabilem debitoris requirunt adhuc, ut mutuator damnum, vel lucrum cessans sustinuerit, quia putant legem ad pœnam damnantem supponere etiam interesse.

Q 16. *An qui pignus pro mutui assècuratione accepit, tenetur fructus ex illo perceptos computare in diminutionem sortis, deductis expensis, laboribus ac operis?*

Resp. Aff. Est communis. Et constat ex cap. 1. & 2.

1. & 2. *de usur.* & l. 1. *Cod. de pignor. act.* quia mutuator nullum habet jus ad illos ratione mutui, quod est ex natura sua gratuitum; sed illi pertinent ad Dominum pignoris; res enim Domino suo fructificat. Hinc qui agrum sterilem, quia antea non colebatur, accepit in pignus, tenetur fructus, quos ex illo fructu diligentiâ percepit, referre in sortem, deductis impensis, & laboribus, alioqui lucrum perciperet ex mutuo.

Excipe 1. Feudum in pignus debiti Domino directo: nam hic non tenetur fructus ex illo deducere in sortem, ex c. 8. *de usur.* vel quia per tales fructus compensari debent servitia à feudatario debita, quibus interim liberatur vel quia feudi contractus habet hanc tacitam conditionem, ut si res feudo subjecta tradatur Domino directo in pignus, ejus fructus ad hunc pertineant, modo feudatarius eo tempore liber fit à servitio præstando, juxta cap. 1. *de feudis.*

2. Feudum pro dote in pignus datum genero. Hic enim non tenetur ejus fructus computare in dotis diminutionem, ex cap. 16. *de usur.* quia hoc pignus datur etiam ad sustinenda Matrimonii onera, donec solvatur dos, cujus usufructum vir haberet, unde fructus illos accipit *pro interesse.* ait Innoc. IV. in cap. 17.

Q 17. *An est usurarium, ac illicitum mutuare ob
spem lucri tanquam finem principaliter inten-
tum, licet sine ullo pacto?*

Resp. Aff. Prob. 1. ex cap. 10. de usur. ubi
censetur usurarius, qui licet omni conventio-
ne cessante, eo animo mutuat, ut aliquid ultra
sortem recipiat, alias non mutuaturus. Et ex
S. August. ser. 3. in Psal. 36. ibi. *Si plus quam
dedisti, expectas accipere, scenerator es.* 2. Chri-
stus jubet, ut mutuum detur gratis, & sine spe
lucri finaliter ex mutuo intenti. Luc. 6. *Mutu-
um date, nihil inde sperantes.* 3. Tunc verè in-
tenditur lucrum ex mutuo, quod est usurari-
um, licet intendatur mediante benevolentia
& gratitudine mutuatarum, sed intentum propter
lucrum: ita ut nisi lucrum speraretur, mutu-
um non daretur: nam tunc intenditur bene-
volentia, vel gratitudo propter lucrum, tan-
quam finem propter se ex mutuo intentum.
Non esse tamen usuram aliquid secundario
sperare ex mera liberalitate, & gratitudine,
non ut debitum, nec intentum ex mutuo, do-
cet glossa, in cap. *Consuluit*, quæ ait peccare
*sperantes causam mutui in spe lucri principaliter po-
sita.* Secundario tamen aliquid sperare non puto
malum. Ita etiam S. Antonin. 2. p. tit. 1. cap.
7. §. 1. addens: *Dicitur autem intentio princi-
palis hæc, cum scilicet magis movetur ad mutuan-
dum propter lucrum, quod sperat, quam propter
aliud.* Sed intentio secundaria dicitur, cum etsi
sperat

sperat aliquid sibi dari ab eo, cui mutuavit ex sua liberalitate, tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuet. At usura est intendere, etsi secundariò, lucrum est mutuo, ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum: quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti, à quo actus specificatur. Et illicitum est velle etiam minus principaliter, ac secundariò aliquid illicitum. Lucrum autem ut pretium mutui, vel ut aliquid ex mutuo debitum, est quid illicitum, & usura: ergo illud quocumque modo intendere est illicitum. Ita Lessius, De Lugo, & alii.

Q. 18. An licet mutuum petere, vel accipere sub usura?

Resp. I. Non licet mutuum petere sub usuris: quia non licet petere ab alio, quod licetè facere non potest; nam hoc esset eum inducere ad peccandum. Tamen ex communi, licet ob gravem necessitatem propriam, vel alienam petere mutuum ab eo, qui prævideretur non daturus nisi sub usuris, si aliter haberi nequit, intendendo solum mutuum, & habendo se permissivè ad usuram: quia licet petere ab alio id, quod licetè præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, modo adsit iusta causa non impediendi ejus peccatum, qualis est hîc: nam mutuatarius non tenetur cum suo

suo gravi damno malitiam mutuantis impedi-
 re, ait S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 4. ibi: *Nullomodo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suae necessitatis, vel alterius. & ad 2. ait: Accipiens, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: unde scandalum passivum ex parte sua est, non autem ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passivum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia eiusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.*

Resp. II. Seclusa necessitate saltem rationabili non licet mutuum petere ab usurario, & accipere sub usuris: quia lege charitatis quisque tenetur sub mortali impedire peccatum mortale proximi, ejusque executionem, quando sine notabili suo incommodo, seu damno id potest. Mercatores dando usuras peccaverunt, tanquam occasionem peccandi usurariis praebentes, cum necessitas, quae ponitur, ut scilicet honorabilius vivant, & majores mercationes faciant, non sit talis necessitas, quae sufficiat ad excusandum peccatum praedictum. ait S. Thom. Opusc. 67. de empt. & vend.

Q. 19. *Quid Usurarius restituere tenetur?*

Resp. Tenetur restituere tum usuras acceptas, & fructus non merè industriales ex iis perceptos, tum etiam omne lucrum cessans, & damnum emergens ex usuris acceptis. Quia tenetur ratione injuriæ, exigendo, accipiendo, & possidendo rem alienam sine justo titulo; cum mutuum non sit titulus justus, nec sponte, ac liberaliter res donata sit: nam mutuarius nollet ultra sortem dare, si posset aliter mutuum accipere, & sic involuntariè dat, non spontè, nec liberaliter.

Q. 20. *An usura mentalis obligat ad restitutionem.*

Resp. I. Qui mutuavit principaliter ob spem lucri, aliàs non mutuaturus, tenetur restituere, quæ postea ultra sortem accepit à mutuuario cognoscente ejus intentionem usurariam, etsi nullum pactum præcesserit. *Ita S. Antonin. & alii.* Quia mutuarius non intendit dare gratis, ac liberaliter, sed tanquam debitum ex mutuo, vel dat ex metu, ne aliàs mutuum sibi denegetur. At injustum est accipere, & retinere aliquid datum duntaxat ut debitum, quod revera debitum non est, vel quod nec sponte, nec liberaliter datur. Et pravitas usuræ consistit in eo, quòd speretur, vel accipiatur aliquid non omnino gratuitum, & voluntaria-

luntarium. Confirmatur ex c. 10. de usur. ubi Pontifex ait, eum, qui ex proposito aliquid ultra sortem recipiendi mutuat, alias non mutuaturus, efficaciter inducendum esse ad accepta restituenda, quamvis nulla conventio præcesserit. Excipè nisi mutuator habeat justum titulum retinendi, nempe lucrum cessans, vel damnum emergens: tunc enim usura est purè affectiva, nec reponit inæqualitatem in rebus.

Resp. II. Si mutuarius sponte aliquid ultra sortem donet ex liberalitate, vel gratitudine, sed mutuans ejus mentem ignorans accipiat tanquam ex mutuo debitum peccat, & tenetur restituere ratione conscientie erronee, quandiu illam non deponit prudenter. Tamen juxta communem, ex parte rei acceptæ ad id non tenetur, sed postquam scivit illud sibi gratis donatum fuisse, retinere potest; quia alter per illam donationem gratuitam transtulit dominium rei in mutuatorem, si accedat acceptatio legitima: unde accedente hac notitia potest rem acceptare & retinere, ut liberaliter donatam. Quamvis enim habuerit intentionem injuriam faciendi, cum accepit tanquam debitum ex mutuo, & ideò peccarit: tamen reipsâ nullum damnum inde alteri secutum est.

Resp. III. Si mutuarius dederit aliquid ultra sortem tanquam ex mutuo debitum, & mutuans illud acceptarit bona fide tanquam

liberaliter, donatum, hic tenetur, ubi rescie-
rit, restituere acceptum, & fructus extantes.
Quia deest titulus justus retinendi: nam da-
tio rei ut debita ex mutuo nulla est, cum ni-
hil sit debitum ex mutuo. Nec tunc fuit do-
natio liberalis, quia res data fuit ut debita. Si
verò mutuator aliquid ultra sortem accipiat,
dubitans, qua mente illud detur, an gratis, an
tanquam debitum, peccat, & tenetur acceptum
restituere; nam injustitiam committit, sicut
is, qui dubia fide capit alienum possidere, &
se exponit periculo alienum retinendi.

Q. 21. *An cooperatores usurarii tenentur ad re-
stitutionem in ejus defectum?*

Resp. Tenentur omnes, qui agentes par-
tes usurarii, sunt causa efficax, cur usura pe-
tantur, solvantur, vel non repetantur. Quia
sunt causa efficax damni mutuataro injuste
illati. Tales sunt 1. Consulentes usuras. 2.
Dantes pecunias eo animo, ut ex his exerce-
antur usurae. 3. Judices, qui compellunt ad
usuras solvendas, vel vetant, ne soluta repe-
tantur, qui etiam ipso facto sunt excommuni-
cati, *Clement. un. de usur.* 4. Notarius confici-
ens instrumentum, fingens licitos contractus,
vel falsos scribens, ut cum dantur centum,
ipse scribit centum viginti, &c. Nisi id faciat
postulante mutuataro; tunc enim licet mor-
taliter peccet, & sit perjurus; tamen non te-
netur

netur ad restitutionem, quia sponte volenti, & roganti non fit injuria. *Ita S. Antonin. 5.* Factores seu negotiorum gestores, qui contractus usurarios faciunt, & famuli cogentes ad usuram solvendi, 6. Proxenetæ, hoc est, qui quærunteos, qui pecuniâ indigent, adducuntque ad usurarios, dum isto modo partes agunt usurarii. At non tenentur, dum agunt partes mutuatarii, quia tunc beneficium ei præstant, & non est in eorum potestate, ut gratis mutuum detur.

Qui autem ita remotè concurrunt, ut non consentatur causa damni mutuatario illati, non tenentur restituere: quales sunt secundùm multos famuli, qui recipiunt pignora, eaque custodiunt, qui numerant pecuniam, qui referunt omnia in librum rationum: quia non consentur causa damni, cum independenter ab illorum opera illatum sit; & quia circa illorum operam non est invitus mutuatarius, nec de illa rationabiliter conqueri potest.

Q 22. *Quenam sunt pœnae usurariis constitutæ?*

Resp. Usurarii notorii, seu manifesti sunt 1. Infames in utroque Jure, ideoque irregulares. 2. Privantur communione altaris, ac sepulturâ Ecclesiasticâ. & eorum oblationes non possunt accipi, cap. 3. *de usur.* ex Conc. Gener. Later. 3. Non debent ad Confessionem admitti, antequam satisfecerint, vel cautionem dederint,

cap. ult. *de usur.* in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. 4 Irrita sunt eorum Testamenta, nisi ante mortem restituerint, vel cautionem legitimam dederint, ex cap. cit. 5. Pro Clericis, qui moniti non desistunt, suspensio ab officio, & beneficio ferenda: pro Laicis excommunicatio ferenda, usque ad debitam restitutionem. cap. 7. *de usur.*

Porro Usurarius notorius est ille, qui facto, vel jure manifestè usurarius est. Est notorietate facti, dum mutuatur palam ad usuram, ita ut nullatergiversatione celari possit. Est notorius notorietate juris, quando de hoc crimine in iudicio convictus est, & damnatus. In Gallia dicitur admitti sola notorietas, quæ habetur per sententiam iudicis.

CAPUT IV.

De Deposito, Commodato, Precario, & Mandato.

NOTA. Depositem, Commodatum, &c. sumuntur hinc pro contractu, licet sæpè sumantur pro ejus materia, scilicet re deposita, commodata, &c.

Q. 1. *Quid est Depositem?*

Resp. Est contractus, quo aliquid alteri custodien-

stodiendum traditur, & ab hoc suscipitur. Perficitur solùm, dum res traditur à deponente, & suscipitur à depositario. Tradere enim, vel deponere non sufficit, sed requiritur etiam ut alter significet se ejus custodiam suscipere; nisi fortè ex officio teneatur eam custodire, ut sunt caupones, stabularii, aurigæ, nautæ, &c. nam sufficit illis videntibus rem in domo, vel curru, vel navi deponi, l. 1. ff. *Nauta*. &c.

Sequestrum autem, quod est species depositi, est contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine, ut postea reddatur ei, cui adjudicabitur.

Q. 2. Quanam sunt obligationes depositarii?

Resp. Ex communi, tenetur 1. Rem depositam servare, ac custodire, eâ curâ ac diligentia, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere, l. 32. ff. *depos.* Quod si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solùm de dolo, & latâ culpâ. l. 1. *Cod. depos.* &c. Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi.

Hinc sartores, molitores, aurigæ, caupones, & similes tenentur ex culpa levi, nam tenentur ex officio sibi, & aliis utili annexam, habente

custodiam eorum, quæ ipsis traduntur, & se tenentur ea custodire. Ex contractu virtuali, ac implicito in utriusque partis commodum cedente. Si verò dispositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit eam, si egeat, hic tenetur de culpa levissima, juxta alibi dicta. Item si seipsum obtulit ad custodiendam rem maximam diligentiam, vel hanc expressè promiserit; nam tunc tenetur ex pacto contractui addito.

2. Tenetur non uti re deposita, sine consensu Domini expresso, vel tacito, aut saltem prudenter præsumpto: quia rei usus non est ipsi concessus, sed solum commissa custodia; & non licet usurpare usum rei alienæ invito Domino: alioqui fit contra justitiam, nam quivis habet jus, ut nemo utatur re sua sine suo consensu. Quare l. 3. Cod. *depos.* utens re aliqua deposita sine consensu Domini dicitur reus furti. Hinc si usus ille sit pretio æstimabilis, ut usus equi, vestis, &c. solvi debet illius pretium: nam usus & fructus rei ad Dominum pertinet, & pretium usus est quidam fructus. Quod si Dominus usum concedat, tunc depositum transit in mutuum, si res deposita sit usu consumptibilis, aut alienata: vel si talis non sit, in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem, si pretium exigatur. Porro juxta multos Domini consensus præsumitur circa usum pecuniæ depositæ,

fitæ, cùm eam tradit nec sacco clauso nec obfignato, nec alio indicio ostendit se utendi facultatem denegare; modo recipiens fit moraliter certus se eam soluturum, ut primùm exigetur.

3. Tenetur depositum repetenti reddere statim, cap. 2. de depos. & l. 1. ff. depos. nam alioqui retineret rem alienam invito Domino. Excipe nisi deponens in suum, vel aliorum damnum reposit, ut si furens enssem repetat: nam tunc deponens non est rationabiliter invitus; vel nisi res deposita sit furtiva, & Dominus eam repetat; tunc enim restitui debet Domino, l. 31. ff. depos. Si verò Dominus eam non repetat, juxta l. cit. & l. 1. ff. depos. restituere debet ipsi furi, sed tunc tenetur eum monere, ut eam restituat vero Domino; & si faciat, monere damnum. Imò videtur lex supponere furem rem depositam repetere, ut eam restituat Domino. Quare Lessius docet eam semper debere restitui Domino, nisi fur putetur eam repetere animo restituendi eam Domino.

Porro si depositarius alteri, quàm Domino reddiderit depositum, & perierit, non tenetur ad restitutionem: modò bona fide, & prudenter, licet falsò putaverit esse Dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum: quia tunc abest fraus, dolus, & culpa lata, ex quibus solum tenetur de damno.

Q. 3. Quid sunt Commodatum, & Precarium?

Resp. Commodatum est contractus, quo res ad solum usum gratuito conceditur usque ad designatum tempus, ante quod repeti non potest.

Precarium est gratuita solius usus rei concessio ad nutum revocabilis. Unde non differt à Commodato, nisi quòd possit quovis tempore repeti à concedente, non tamen in continenti; alioqui esset inane ac illusorium, non beneficium. Solvitur ipsius rei alienatione, & morte accipientis. cap. ult. de Precar.

Q. 4. Quenam sunt obligationes commodantis, & commodatarii?

Resp. I. Ex communi, commodans tenetur
 1. Aperire vitium rei commodatae, si sit periculosum, alioqui tenebitur de damno inde secuto. l. 18. & 22. ff. commod. cum dederit illius occasionem. 2. Tenetur ad impensas extraordinarias l. 18. ff. commod. 3. Tenetur non repetere ante tempus, de quo expressè vel implicite conventum est. l. 17. ff. commod. & cap. un. de commod. quia, ut ibi dicitur, non oportet nos beneficio decipi, sed juvari. Quare si ante repetat, tenebitur de interesse, quod inde alteri sequetur: nam fecit injuriam violando jus alterius ex pacto acquisitum. Ex-
 cipe

cipe nisi commodanti damnum simile ex carentia rei suæ inopinatò immineret; tunc enim juxta multos ei licet ante tempus finitum repetere, etiam cum alterius damno: quia non censetur usum rei suæ gratis concessisse, nisi sub hac tacita conditione ut in tali eventu posset repetere; neque enim in gratuita promissione, & concessione usus rei suæ quis censetur velle se ad tantum obligare, quantum in onerosa.

Resp. II. Ex communi, commodatarius tenetur ex justitiâ 1. Non uti re commodatâ, nisi ad usum sibi concessum, aut saltem cui prudenter judicet Dominum consensurum, ex l. 5. ff. commod. ubi aliàs dicitur furti reus: quia usurparet aliquem usum rei alienæ invito Domino; nec enim habet jus nisi ad usum concessum. Ex Instit. de obligat. quæ ex delict. &c. ibi: Furtum fit, cum quis alienam rem invito Domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur: Sive is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratiâ ei data est, furtum committit: veluti si quis equum gestandi causâ commodatum sibi, longius aliquo duxerit. Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id invito Domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum credant, extra crimen videri.

2. Tenetur rem commodatam finito tempore

pore restituere, etiamsi non repetatur, *cum dies statuta pro Domino interpellat*, cap. ult. de locato. Alioqui tenebitur omne lucrum cessans & damnum inde proveniens compensare, cum sit illius causa iniusta: nam non habet jus utendi re alienâ eamque retinendi ultra tempus sibi concessum, sed Dominus habet jus illam tunc possidendi, & eâ utendi.

3. Tenetur ad impensas ordinarias, & modicas, necessarias ad rei commodatæ conservationem, v. g. ad pabulum equi, non tamen ad extraordinarias magnas, v. g. ad curationem magni pretii, ad restaurationem domus l. 18. ff. *commod.*

4. Tenetur maximam diligentiam ac curam ad rem commodatam integrè & in bono statu conservandam adhibere; ex l. cit. & *Instit. quibus modis &c.* Quare si res pereat, vel deterior fiat, ex culpâ etiam levissimâ, tenetur ad restitutionem, nam contractus cedit in ejus solius utilitatem, ex c. un. de *commod.* ibi: *Cum gratiâ sui tantum quis commodatum accepit, de levissimâ etiam culpâ tenetur. Licet casus fortuitus (nisi accideret culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.* Ergo tenetur ad restitutionem rei commodatæ, quæ perit vel amittitur, dum per tertium remittitur, si non adhibuit diligentiam & prudentiam maximam, ut fidelem ac idoneum inveniret: secus, si hanc adhibuit, l. 20. ff. *Commod.* Vel si tertius ille à commodante fuit

fuit electus, tunc enim res domino suo perit. Quod si in utriusque commodum res fuisset commodata alteri, hic tenebitur solum de culpa levi: si verò in solius commodantis de culpa lata, juxta regulas alibi traditas.

Q. 5. An res aliena commodata, deposita, conducta, &c. debet preferri propria, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii, &c.

Resp. I. Si res tua propria sit pretiosior, potes eam conservare præ aliena commodata, deposita, &c. Quia non exigit æquitas, ut quis majore suo damno impediatur damnum minus alterius. Sed tunc si res erat commodata, juxta multos, teneris ejus pretium restituere, *ex l. 5. ff. commod. ubi dicitur commodatarius non teneri compensare damnum ex incendio vel ruina ortum, nisi cum posset res commodatas salvas facere, suas prætulit.* Nam æquum non est, ut alter damnum sustineat, salvis ejus rebus cui gratificatus est, & ob cujus solius commodum res sua adducta est in periculum.

Resp. II. Si res aliena sit pretiosior, teneris ex justitia eam præ tuis conservare. Quia rei alienæ ea debetur custodia, quam quisque prudens in suis rebus adhiberet: quisque autem servaret res suas pretiosiores, relictis vilioribus. Sed tunc si res aliena erat apud te in
com-

commodum solius Domini, potes exigere compensationem totius damni, quod passus es eam servando: nam non teneris eam gratis servare tuo damno, cum in tuam utilitatem non detineas. Si autem erat in commodum tui, & Domini, potes repetere mediam partem damni, quia utriusque causâ res periclitabatur; & par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, pro ratione commodi. Si verò res apud te erat, in tui solius utilitatem, juxta Lessium & alios, non potes exigere compensationem pro tuis rebus. ex l. 5. cit. ff. *Commod.* Quia cum jactura rerum tuarum minoris, vel æqualis valoris teneris alterum præstare indemnem, cum tantum tui commodi occasione res ejus in periculum istud inciderit.

Resp. III. Quando res tua est æquè pretiosa, potes illam præferre alienæ, si res aliena sit apud te in commodum solius Domini, vel in commodum commune. Si verò res aliena sit in commodum tui solius, juxta multos, teneris eam tuæ præferre ex l. 5. cit. quia rem alienam in tui solius commodum acceptam teneris diligentissimè conservare: nec tunc ille debet tibi compensare, cum res sua tui solius causâ periclitaretur: & cum solus ex contractu commodum sentias, par est, ut solus damnum patiaris, præstando id, ad quod tenebaris.

Porro qui rem suam præ aliena conservat, dum tenetur alienam suæ præferre; tenetur ad

ad restitutionem; quia fecit injuriam damnosam.

Q. 6. Quid est Mandatum?

Resp. Est officium gratis susceptum in gratiam alterius: sive est obligatio aliquid agendi, in commodum alterius, gratis suscepta, v.g. negotium aliquod gerendi, aliquid ipsi emendi, &c. nam si pretio suscipiatur, est potius locatio operæ. Mandatum autem non potest esse, nisi de re licita, l. 6. ff. *mandat.* & re integra solvitur morte mandantis, l. 15. *Cod. Mandati.*

Q. 7. Quenam sunt obligationes mandatarii, & mandantis?

Resp. 1. Ex communi Mandatarius, & quis negotiorum gestor, vel procurator tenetur
 1. Alterius negotium diligenter, & utiliter gerere tanquam proprium: nam ad hoc se obligavit acceptando mandatum, nec ei aliter negotium commissum fuisset, ex l. 21. *Cod. mandan.* ibi: *Aliena negotia exacto officio geruntur: nec quidquam in eorum administratione neglectum, ac declinatum culpâ vacuum est.*
 2. Negotium susceptum conficere: voluntatis est enim, suscipere mandatum, necessitatis consummare, l. 17 ff. *commod.* Nam ad id se obligavit illud suscipiendo.
 3. Tenetur saltem de dolo,

lo, & culpa lata, si mandatum in solius mandantis utilitatem gratis susceperit, l. 3. ff. de negot. gest. De levi, si id etiam in suam utilitatem cedat, vel si se obtulerit, cum alius diligentior praesto esset: de levissima vero, si maximam diligentiam promiserit, vel hanc res exigit. 4. Non potest fines mandati sui transire; *diligenter enim fines mandati custodiendi sunt.* l. 5. ff. Mandati. Unde non potest aliquid pluris emere, aut minoris vendere, quam ei praescriptum sit. 5. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel eam prius perierit; nec ei licet operam occulte compensare, alioqui tenetur ad restitutionem. Nam hoc ipso quod mandatum suscipit nihil petendo, censetur velle alteri gratificari, & operam suam gratis ex amicitia praestare, ex l. 1. ff. mandat. ibi: *Mandatum nisi gratuitum nullum est; nam originem ex officio, atque amicitia trahit. Contrarium ergo est officio merces: interveniente enim pecunia res ad locationem, & conductionem potius respicit.*

Resp. II. Mandans tenetur mandatario praebere necessaria ad mandati executionem, & solvere sumptus, ex cap. 6. de procurat. nam id aequitas, & justitia exigit.

Sed quid dicendum de eo, qui absentis, & ignorantis negotium gessit sine mandato?

Resp. Is perinde ac mandatarius tenetur negotium

gotium alterius diligenter administrare tanquam suum; & refarcire damna absenti illata ex eius culpa lata; imò levi, saltem si alius diligentior negotium illud suscepturus esset. *Instit. de oblig. & l. 20. Cod. de negot. gest.* quia is, qui alterius negotium suscipit, diligentiam suam, ac industriam promittere censetur, quam proinde saltem ordinariam adhibere tenetur. Absens verò tenetur ei impensas, & damna ex negotii administratione secuta compensare, & operæ mercedem congruentem solvere: & si recuset, datur actio contra eum, *l. 2 ff. de negot. gest.* idque etiamsi negotium malè succedat, modò negotii gestor prudentiam, & diligentiam debitam adhibuerit: nam cum res ipsa, & bonum commune postulet, ut res, & negotia absentium administrantur; æquum est impensas ea de causa factas, operas, & damna secuta compensari ei, qui talia negotia gessit. Hic autem rationem expensi & recepti reddere debet, *Instit. de obligat.*

CAPUT V.

De Emptione, & Venditione.

Q. I. Quid est Emptio, & Venditio?

Resp. Q Emptio est pactio pretii dandi pro merce. Venditio est pactio mercis dandæ pro pretio. Unde realiter utraque non est nisi unus

Tom. II,

Ii

con-

contractus mutuus, qui absque traditione rei
aut pretii perficitur solo consensu partium ex-
terioris significato, quo se mutuò obligant, ven-
ditor quidem ad mercem tradendam, emptor
verò ad pretium solvendum, l. 1. ff. de contrab.
empt. & Instit. l. 3. tit. 24. Tamen sine traditio-
ne non habet ultimum suum complementum,
nec transfertur dominium. At non idè licet
uni contrahentium altero invito ante traditio-
nem à conventionem discedere l. 3. Cod. de re-
scind. vendit. nam pacta obligant in consci-
entia.

*An autem cum arrha datur, liceat resilire cum
sola illius jactura?*

Respondet De Lugo hoc pendere ex con-
suetudine, quæ intentionem contrahentium
optimè declarat. Quare si usus est, ut cum
sola jactura arrhæ impunè recedant, ea solum
videtur intentio. Alioqui censetur data
arrha ad securitatem obligationis contractæ
etiam ex parte dantis, qui eam implere debeat.

*Utriusque contractus justitia in æquali valo-
re mercis, & pretii consistit. Merx est res
quævis pretio temporali æstimabilis, & para-
bilis. Pretium verò est pecunia, quæ inventa
est, ut sit mensura, & pretium omnium, quæ
in contractus humanos venire solent: nam
ante usum pecuniæ erat solum permutatio,
quæ est pactio mercis pro merce, vel etiam*
nunc

nunc pecuniæ pro pecunia præfenti. Requiritur autem ut pretium sit definitum, l. 35. ff. *de contrab. empt.*

Not. Cum res venditur, censetur cum ea vendi id omne, - quod est pars illius, vel cum ea connexum, & ejus accessorium, nisi expressè excipiatur. Sic fundo empto censentur arbores in eo confitæ, & fructus pendentes vendi; nam fructus rei cohærentes censentur pars illius, l. 44. ff. *de rei vindict.* Secus de fructibus avulsis.

Q. 2. *Quodnam est pretium justum rerum venalium?*

Resp. Justum pretium est illud, quod æquat valorem rei venalis. Duplex est, scilicet legitimum, & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Pretium legitimum est illud, quod lege Principis, vel Magistratûs decreto constitutum est. Vulgare est, quod communi hominum æstimatione constituitur, spectatis mercium copia, vel penuria, venditorum impensis, labore, periculis, modo vendendi, emptorum multitudine, vel paucitate, &c. seclusis fraudibus, ac monopolis injustis, juxta, l. *pretia*. ff. *ad legem falcid.* *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* hoc est, definiuntur.

Hinc pretium justum, & injustum potest esse diversum in diversis locis, & temporibus

pro varia in iis rerum æstimatione. Pretium legitimum consistit in indivisibili, ita ut non liceat venditori illud augere, nec emptori minuere; nisi venditor sponte velit minus exigere: quia publica potestas, pro vi, quam habet obligandi suos subditos in ordine ad bonum commune, restringit pretium ad aliquid determinatum, ideóque indivisibile. Vulgare verò habet quamdam latitudinem, intra quam licet pluri, vel minori, vendere, aut emere. Ratio est, quia legitimum constituitur ab uno, vel à pluribus in idem consentientibus: vulgare autem pendet à multis non idem omnino judicantibus. Quòd enim quidam æstimant novem, hoc alii decem, alii vero undecim æstimant. Quare ex communi, triplex est vulgare pretium, nempe infimum, medium seu mediocre, & summum seu rigorosum. Sic juxta communem si pretium medium sit viginti, infimum erit novemdecim circiter, summum viginti-unum. Item si medium sit centum, infimum erit nonaginta quinque summum verò centum quinque, aut circiter. Et ita cum proportione de aliis secundum æstimationem prudentem. Sic tamen ut latitudo sit major, si res sit pretiosior, & minor, si res sit minùs pretiosa, ut patet in exemplis allatis, in quorum primo latitudo est trium aureorum, in secundo decem. Imò ipsum medium suam habet latitudinem, similiter infimum, & summum.

Sed

Sed quid si res quedam neque lege, neque ex communi estimatione hominum pretia habeant, cuiusmodi sunt gemmae exquisitae, aves rarae, tabellae, statuae antiquae, flores, artefacta quaedam rara, & similia, quae non sunt necessaria?

Resp. Res illae non possunt vendi pro arbitrio vendentis, sed debent secundum estimationem peritorum. Ita *Cajetan. Navar. Rebellus, Lessius, Salas, De Lugo, & alii.* quia iustum earum pretium sumendum est, non ex beneplacito Domini, sed ex iudicio prudenti, spectatis novitate, antiquitate, raritate, utilitate, & aliis circumstantiis ad valorem rei facientibus. Nam non ideo res tanti valet, quia venditori placet tanti vendere, sed quia intelligentium iudicio tanti aestimatur. Et nemo prudenter potest iudicare rem tanti valere, quanti potest vendi: pretium autem iustum debet esse prudenter aestimatum. Nec refert, quod nulla vis, aut necessitas inferatur emptori, alioqui possent usurae retineri, quando mutuum petitur ad usus non necessarios, ut ludum, &c.

Q. 3. An licet vendere ultra iustum pretium, saltem extraneo, vel emere infra?

Resp. Neg. Ita nunc omnes Theologi. Constat i. ex cap. 1. de empt. 2. Quia in omni contractu aequalitas iustitiae jure naturali ser-

vari debet erga omnes: at non servatur iustitiae aequalitas inter rem, & pretium, si res pluri vendatur, vel minoris ematur, quam valeat. *Emptio & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque. . . quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius, & ideo debet secundum aequalitatem rei inter eos contractus institui. . . & ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum, & illicitum.* ait S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1.

Quare venditor tenetur in conscientia excessum pretii restituere, & emptor supplere pretium justum: nam illud, quod excedit, vel deficit, non censetur liberaliter, ac gratis, & absolute donatum; sed pretium datur solum tanquam debitum, ac justum pretium meritis, merx vero tanquam aliquid aequivalens, ac debitum pretio oblato. Quamvis in foro externo non detur actio, nisi cum est injustitia, seu laesio ultra medietatem iusti pretii, ad vitandam multitudinem litium, quae passim emergerent, si ex quavis inaequalitate daretur actio.

Cum autem in pretio vulgari detur aliqua amplitudo, licet vendere pretio summo, & emere infimo, nam utrumque justum est. Non licet tamen ei, qui aliquid pretio infimo vendidit, pretium occulta mercis imminutione reducere ad medium, vel summum: nam ageret contra conventionem, & contra jus
alterius

lucris cessantis causa per injuriam: nam quisque habet jus, ut fraude, vel mendacio, vel non inducatur ad aliquod damnum patientium, vel lucrum amittendum.

Q. 5. An sunt aliqua causa, ob quas liceat res pluris vendere, vel minoris emere, quam alioqui valeant?

Resp. I. Etsi nunquam liceat rem pluris vendere, vel minoris emere, quam hinc & nunc valeat, omnibus consideratis, cum alias non servaretur æqualitas justitiæ inter mercem, & pretium; sunt tamen variæ causæ pluris vendendi, vel minoris emendi rem, quam alioqui valeat pretio vulgari, eo quod ob illas pluris, vel minoris æstimeretur, & valeat, quam si abessent.

Resp. II. Ex communi, causæ pluris vendendi hæ sunt. I. Lucrum cessans, vel damnum emergens, deductis deducendis: ut si merces, quas in aliud tempus servare decreveras, quo plus probabiliter valiturae sunt, vendas in gratiam alterius, ex cap. ult. *de usur.* aut si vendas merces, quas cogèris postea carius emere: nam præter pretium rei currens exigi potest compensatio jacturæ lucris sperati, & damni, quæ ex alienatione rei sequuntur, ut dixi de mutuo, venditor enim non tenetur ex justitia cum suo damno vendere. Sed tunc cum venduntur merces anticipata pretii majoris taxatione

tionem deduci debent impensæ, quas venditor factururus erat ad servandas merces usque ad statutum tempus, & computari æstimatio diminutionis, deteriorationis, & periculi harum mercium in id tempus servandarum. Alioquin non servaretur æqualitas, & venditor exigeret ultra suam indemnitatem, ideoque plusquam sibi deberetur. Exigeret enim totum lucrum cessans, non compensando damnum, ac periculum quod subiret, merces suas servando, & quo immunis est eas vendendo. Item vendenti ante tempus quo statuerat vendere, licet convenire cum emptore, ut solvatur pretium sive majus, sive minus, quod res valebit eo tempore, quo venditor decreverat vendere, sed deductis paulo ante dictis.

2. Causa est affectus rationabilis domini erga rem, quæ venditur in gratiam alterius, ut quia est antiqua, quia à principe, vel a majoribus accepta, &c. Atque etiam oblectatio: nam molestia subeunda ex carentia rei specialiter amata, & privatio oblectationis in gratiam alterius sunt pretio æstimabiles, tanquam incommoditas quædam, perinde, ac privatio utilitatis. Sed illud pretium debet esse moderatum iudicio prudentum: affectus enim immoderatus intra terminos rationis, & moderationis reduci debet, nec pretio enormi reddi.

Not. Cùm ob prædictas causas plus exigatur, emptor de hoc monendus est; alioquin ei

li 5 fieret

fieret injuria. Nam ipso ignorante ideoque non consentiente acciperetur pretii excessus pro aliquo merci extrinseco, cum tamen ipse solum consentiret in pretium mercis secundum se spectata; & fortè rem non emeret, sed aliunde sibi provideret, si sciret pretium propositum esse majus, quam res secundum se valeat: deinde deciperetur circa valorem rei absolutum, & alios postea decipere posset.

3. Est copia emptorum, vel pecuniarum, & penuria mercium; ut sit, v. g. in adventu subito principis, exercitûs, &c. Id enim plaris æstimatur, quod à pluribus quæritur, quodque difficilius, vel minore copia invenitur.

4. Pericula, impensæ, labores in rebus istis conquirendis, conservandis, &c. communiter occurrentia: nam hæc sunt pretio æstimabilia: nisi tamen merces illæ jam suum habeant pretium, quo passim vendantur. Nam tunc in pretio æstimando jam habita est ratio laborum, & impensarum, quæ communiter fieri solent. Dico *communiter*, nam si quis plures impensas fecerit, & plus laboris, vel periculi, aut damni subierit, quàm alii communiter, non potest idè pretium augere, sicut non tenetur minuere, si ordinarias impensas non fecerit: quia infortunium, vel difficultas, sicut felicitas, vel industria unius venditoris non mutat communem æstimationem, quæ sumitur à communiter accidentibus: res quippe tanti valet, quanti æstimatur communiter, non
quan-

quanti per infortunium, vel imprudentiam aliquibus constat.

5. Modus vendendi, ut cum res venditur in parva quantitate, & minutatim: tunc enim propter labores, impensas, operas, & curas, quæ ad id exiguntur, potest pluris vendi, quam si venderetur simul in magna quantitate.

Resp. III. Ex communi, sunt quoque variæ causæ ob quas licet minoris rem emere, quam alias valeret.

1. Si res emptori parùm sit utilis, nec eam emat nisi in gratiam venditoris. Res enim vilescit tum ex eo, quòd emptores non inveniuntur, tum ex eo, quòd res ementi parùm sit utilis. Item si res ultrò offerantur, & emptores quærantur, aut rogentur, juxta illud effatum, *merces ultroneæ vilescunt*: quia hoc indicat paucitatem emptorum; nisi tamen aliud charitas exigat: neque enim licet vilius emere res pauperum, quas ipsi necessitate compulsi venales proponunt, eo solo prætextu, quòd offeruntur venales. Imò ob necessitatem præcisè, qua proximus rem suam vendere cogitur, pretium imminuere injustum est, perinde ac illud augere ob necessitatem, vel utilitatem emptoris: quia sicut emptoris necessitas non auget valorem rei, sic venditoris necessitas eundem absque alio titulo non minuit.

2. Ob emptorum paucitatem, quia id minoris aestimatur, quod minus quæritur.

3. Ob

3. Ob mercium copiam supervenientem. Tunc enim vulgare pretium minuitur, quia minoris id aestimatur, cujus major est copia.

4. Cum merces in magna quantitate simul emuntur, tunc minoris emi possunt, quam si minutatim, & per partes emerentur: quia hoc vendendi modo mercator liberatur multis curis ac impensis, & operis, quas circa illas subiisset, & fit expeditior ad novas merces comparandas: quod magis ipsi quaestuosum est, quam si eas pretio ordinario sensim vendidisset.

5. Cum venduntur auctione publica, seu sub hasta; tunc possunt minoris emi, & interdum pluris vendi, quam ferat pretium mercatorum. Quia ibi res fortuito, ac incerto pretio subjiciuntur: ita ut seclusa vi, fraude & subornatione possint justè minoris emi ob licitantium paucitatem, ac frigus, & pluris vendi ob offerentium multitudinem, ac fervorem. Quare juxta multos justum illius fori pretium est illud, quod absque vi, fraude, & subornatione offertur, & acceptatur ab intelligentibus, ut passim fert eruditorum, ac piorum sensus, & usus, in quem publica potestas tacitè consentire videtur.

Dixi, *absque fraude*, &c. nam si per fraudem vel subornationem extrahatur res extra pretium mercatorum, tunc erit injustitia & obligatio restituendi: ut si venditor inducat fictum licitatore, ut augeat pretium; vel si
emtor

emptor impediatur alios, ne pretium liberè au-
geant, vel per vim aut fraudem avertat alios
ab emendo. Nam quisque jus habet ne frau-
de, aut vi impediatur ejus commodum.

*Q. 6. An licet pluris vendere rem, eo quòd sit
emptori valde grata, vel utilis, aut neces-
saria?*

Resp. Neg. Est communis. Quia hæc utilitas,
affectio, necessitas non est aliquid vendentis;
sed est ex conditione ementis: at injustum
est vendere rem carius propter aliquid, quod
suum non est S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. Hinc
injustè mihi carius vendis domum tuam meæ
contiguam, quia mihi perutilis est.

*Q. 7. An privatim sciens pretium mercis brevi
auctum, vel imminutum iri, potest justè eam
pretio corrente vendere, vel emere,
non monito altero contra-
hente?*

Resp. Aff. Modò absit fraus omnis. Ita S.
Thom. q. 77. a. 3. ad 4. & alii communiter.
Quia pretium currens, sive sit lege, sive com-
muni æstimatione constitutum, est justum, &
nondum immutatum; nam scientia privata
vendentis, vel ementis non mutat decretum
Magistratûs, nec communem æstimationem,
unde petitur justum rei cujusque pretium.
Sic

Sic Joseph. Gen. 41. sciens privatim fore magnam frumenti caritatem, frumentum Ægypti pretio currente emit, quod postea carius vendidit; eadem autem est in eo casu, quantum ad justitiam, venditoris, ac emptoris conditio. Idem dicitur de pecunia, cujus valor præsens justus est, donec per edictum principis mutetur. Sed observa 1. Potest interdum in hoc peccari contra charitatem, ut si pauperi magnam copiam rerum brevi minuendarum vendas. Ita *Rebellus, Reginal. & alii*: Quia charitas vetat, ne proximum in gravem necessitatem conjicias, ut lucreris; sicut jubet ei subvenire etiam cum aliqua bonorum tuorum jactura. Quare si peccas contra charitatem non subveniendo proximo in gravi necessitate constituto, cum potes sine tuo gravi incommodo, à fortiori peccabis, si eum in talem necessitatem conjicias, ut lucreris.

2. Effet contra justitiam vendere pretio currente res, quarum pretium minuendum est ob ipsius rei vitium: nam eo ipso res illa jam censetur esse tunc vitiosa, ac proinde jam tunc minus valet. Ita communiter. Hinc qui occultè scit suum debitorem non esse solvendo, non potest hoc debitum pretio ordinario vendere: quia hoc debitum jam vitiosum est in se, cum debiti seu obligationis valor multum pendeat à solutionis certitudine. Ita *Lessius*.

3. Si interrogatus, an pretium minuendum sit, neges, & idè alter inducatur ad emendum

dum, *ex communi*, peccas contra Justitiam, & teneris restituere: quia mendacio, ideoque viâ injustâ inducis proximum ad contrahendum cum suo damno; & injustum est proximi bonum fraudè, mendacio, vel dolo impedire, aut minuere.

4. Magistratus peccant contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem, si prætia rerum mutant ob privatam suam utilitatem; vel si edicti justî promulgationem differant eo solum fine, ut prius merces vendant, aut emant, vel pecunias distrahant; aut si alicui Legem brevi promulgandam significant, quâ notitiâ ille utatur cum aliorum detrimento. *Ita Rebellus, De Lugo, & alii multi.* Quia ex suo officio tenentur impedire damna aliorum, & curare ne ex suis Decretis damnum aliquibus præ aliis eveniat. Enimverò eorum officium in communem utilitatem institutum est: ergo non possunt eo uti in damnum aliquorum, ob utilitatem propriam, vel privatam alterius.

Q. 8. *An excusatur vendens ultra pretium justum, eo quòd emptor tale pretium offerat?*

Resp. Neg. Est communis. Quia emptor non vult liberaliter donare excessum pretii justî, sed emere, & solvere duntaxat justum pretium. Unde excessum non offert, nisi ex errore tollente voluntarium, vel ex necessitate, aut affectu erga rem illam; quæ non augent pretium

pretium mercis respectu venditoris, cum sint ex conditione emptoris. Si tamen constaret excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando Principes, posset retineri: donatio enim liberalis est justus titulus, ob quem etiam emptor posset minoris emere; sed hoc nunquam præsumi debet, nisi absint ignorantia justæ pretii, necessitas, fraus, ac coactio, & adsit aliqua causa ut consanguinitas, affinitas, amicitia, vel liberalitas.

Q. 9. Si venditor ignoret valorem mercis sue, ad quid tenetur emptor?

Resp. Ex communi, tenetur illum ei aperire, si rogetur, alioqui injustè deciperet. Si non rogetur, tenetur pretio justo saltem infimo emere, quamvis minus ex ignorantia petatur; nam non servaretur æqualitas; & injustum est rem emere, vel vendere minori pretio, quam communi æstimatione valeat, cum hoc pretium sit injustum. Neque enim venditor intendit donare id, quod deest justo pretio, sed rem uti est vendere justo pretio. Et manente ignorantia, quævis ejus condonatio non est voluntaria, nec proinde valida.

Q. 10. An qui scit in agro alieno latere thesaurum, licitè emit agrum pretio communi, ut fiat Dominus totius thesauri?

Resp. Communiter affirmant. Quia 1. Chri-

Christus Matth. 13. innuit hoc licere. 2. Thesaurus non est pars fundi, nec ejus fructus, cum ibi non natus, sed positus fuerit; nec pertinet ad Dominum agri donec eum invenerit, cum thesaurus in nullius bonis sit, *Instit. de rer. divis.* 3. Justum pretium rei petitur, ex communi æstimatione, non ex utilitate soli emptori notâ, quæ est per accidens, & extrinseca rei. Nec emptor tenetur indicare, cum cuilibet liceat uti propriâ scientiâ ad acquirendam rem, quæ nullius est.

Aliud est de venis metallicis, vel alio minerali, quæ latent in agro: nam sunt partes fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum Terræ; aut saltem sunt fructus agri: Ergo sunt Domini agri, & in emptione fundi debet haberi eorum ratio, cum verè simul emantur. Sunt tamen, qui docent, si emens id nesciverit, & bonâ fide emerit, non teneri hoc compensare: quia quæ à nemine cognoscuntur, non æstimantur pretio, sed se habent in æstimatione hominum tanquam si ibi non essent.

Q. II. An licet justo pluri vendere ob dilatam solutionem pretii, vel minoris emere ob anticipatam?

Resp. Neutrum licet, nisi adsit alius titulus justus, ut lucrum cessans, vel damnum emergens. *Est communis. & Constat 1. ex cap. 6.*

Tom. II,

Kk

& cap.

& cap. 10. de usur. 2. Quia res non venderetur, aut emeretur pretio iusto, nam pretium iustum est illud quod aut lege, aut communi æstimatione constitutum currit. Neque pretium debet æstimari ex anticipatione, vel dilatione solutionis: nam perinde iustum est, si illud tunc detur, aut solum post annum. Sola quippe ratio temporis per se nihil confert ad pretium: alioqui usura esset licita, & pecunia numerata esset pretiosior numeranda, quod damnavit Innoc. XI. unde solutio futura per se æqualis est æstimationis cum præsentis. 3. In dilata, vel anticipata solutione est nautium implicitum, & virtuale: nam cum creditor concedit dilationem solutionis, perinde facit, ac si acceptam à debitore pecuniam eidem usque ad tempus mutuaret. Similiter qui solutionem pretii anticipat, idem præstat, ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ. Ratione autem mutui aliquid ultra valorem rei exigere iniustum, ac usurarium est. S. Thom. q. 78. a. 2. ad. 7. *Ex communi* tamen licet numeratâ pecuniâ vendere pretio infimo, non numeratâ summo, quia utrumque iustum est. Hinc iniustum est nunc emere pretio currente triticum tradendum eo tempore, quo speratur plus valiturum. Licet tamen merces emere minore pretio, quàm valeant, cum emuntur, & datur pretium, si verisimiliter putentur minùs valitura tempore, quo

quo tradentur, nam aliàs emptor damnum pateret.

Not. Mercatoribus, qui credito vendunt merces, non licet plerumque aliquid supra justum pretium exigere ob lucrum cessans: quia raro lucrum eis ideo cessat, imò ordinariè augetur: nam sic vendendo, plures emptores habent, & plures merces vendunt, quam si exigent solutionem presentem, & liberi sunt à periculo, & labore conservandi merces.

Q. 12. *An licet credita, Chirographa, & census minoris emere, quàm contineant, v. g. an jus ad centum nummos solvendo intra annum emi potest numeratis tantum nonaginta?*

Resp. I. Si hæc sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate, ac molestiis exigenda, ex communi licitè emuntur minoris, quàm contineant: nam tunc in æstimatione communi minùs valent. Hinc ex. l. minùs. ff. de reg. jur. *minùs est actionem habere, quàm rem, quæ scilicet certò, & sine molestiis, ac sumptibus haberi nequit.* Idem dic, si ex tali emptione lucrum cesset, vel damnum oriatur ementi. Non licet tamen ipsis debitoribus ea debita minoris emere, cum sint causa eorum minoris æstimabilitatis, & teneantur ad integram solutionem. Quæstores vero publici, & ii quibus incumbit aliorum debita

bita solvere, si cum creditoribus durè, ac molestè agant, ut ad creditum ipsis vel eorum amicis vendendum adigant, tenentur ad restitutionem; cum sint causa injusta difficultatis solutionis, & damni.

Resp. II. Seclulo lucro cessante, vel damno emergente, non licet credita, & Chirographa liquida, ac securam minoris emere, quam contineant. *Est communis. teste De Lugo. Prob.* Quia non servaretur æqualitas pretii cum re empta, nam minoris emeretur creditum, quam valet. Jus enim ad debitum liquidum mille aureorum exigendum, & certò recipiendum sine difficultate, ac molestiâ valet mille aureos: nam si debitum illud, quod emittitur, non esset exigendum post annum, sed nunc, idque sine ulla difficultate, molestiâ, ac damno, non potest dici non valere mille aureos: at ob solam dilationem temporis non potest minui ejus valor, alioqui usura esset licita. Præterea mille aurei certò in futurum solvendi tanti valent, quanti mille præsentis, ut constat ex propos. 41. ab Innoc. XI. damnata.

Ob eandem rationem non licet census jam constitutos nulli periculo expositos emere infra pretium lege vigente taxatum. Alioqui emerentur vilius justo, cum pretium legitimum sit indivisibile, & census jam constitutus nulli periculo, ac difficultati expositus tanti valeat, quanti novus. Quòd si lex sit abrogata per consuetudinem legitime præscriptam,

vel

vel revocata ex consensu saltem tacito Principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare, (ut varii dicunt ex consuetudine habere) potest emi infimo pretio census, qui summo venditus fuit, cum utrumque justum sit. Non tamen potest redimi à vendente nisi eo, quo emptus est pretio: quia ad justam venditionem cum pacto retrovendendi requiritur, ut venditor idem pretium ab emptore datum reddat, cum hoc pactum sit simile pacto rescindendi contractum.

Q. 13. Ad quid tenetur, qui falsam monetam pro vera ignoranter tradidit?

Resp. Tenetur ubi id novit, veram tradere, vel si non potest, rescindere contractum: quia rem dedit intrinsecè, ac substantialiter vitiosam, & se obligavit ad dandam veram monetam. Item fuit error circa substantiam monetæ, quæ est materia contractûs, & alioqui esset inæqualitas, quæ ubi innotescit reduci debet ad æqualitatem, ne fiat injuria.

Q. 14. An licet vendere res defectuosas, vel mixtas?

Resp. Ex communi D. D. sententia, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem.

1. Qui scienter vendit rem vitiosam sive in substantia, tunc enim contractus est etiam

Kk 3

nullus,

nullus, ob defectum consensûs substantialis: five in quantitate seu pondere, numero, vel mensurâ, ex Deut. 25. *Non habebis diversa pondera majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor. Ponderus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi...* abominabitur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injustitiam: five in qualitate, non minuto pretio, etiam si vitium non sit noxium: nam in his casibus violatur æqualitas, quam justitia exigit: non enim servatur æqualitas inter rem & pretium; nam res defectuosa, seu vitiosa in quantitate, vel qualitate minùs valet, quàm integra, & bona. Ergo non potest justè vendi, nisi pretio minore pro ratione defectûs. quòd si qualitas rei sit noxia, venditor tenetur emptori de damno, eùm fuerit ejus causa injusta.

2. Qui vendit rem mixtam aliâ viliori, v. g. vinum aquâ mixtum, vel farinam frumentum mixtam hordeaceâ, si mixtio noxia sit, vel reddat rem inutilem, aut deteriolem: quia injustè decipit emptorem, qui res puras non mixtas putat, & vult emere, eique injustè infertur damnum contra bonam fidem contractûs.

Imò etiam si res mixta non fiat deterior, nec inutilis, non licet eam vendere eodem pretio, ac si esset pura: quia minoris valet estque injustum eodem pretio rem vilem, quo pretiosiore, v. g. aquam pretio vini, panem hordeaceum pretio triticei vendere secundum aliquam

quam quantitatem. In ejusmodi autem rebus mixtis est aliqua quantitas rei vilis. Ita S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 17. *Rebellus & alii.* Nec refert quòd vinum sic mixtum æque vel fortasse melius emptori sapiat, quàm si esset purum: hoc enim per accidens est, & emptor admiscere aquam poterit. Vinum autem mixtum est minoris æstimabilitatis, ac valoris secundum se, quàm purum, estque in se deterius, & citius acefcit, & ad plures effectus minus utile est. Igitur tunc minui debet pretium pro ratione mixtionis.

3. Qui utitur aliquo artificio, ut mercis bonitas magis appareat, & ideo vendit supra summum. Non enim ideo pluris valet, cum bonitas non inde augeatur. Item qui aliquo artificio auget pondus, vel extensionem mercis, v. g. avenam aquâ perfundit, lanam ponit in locis humidis, ut fiat ponderosior: nam emptor decipitur in pondere, vel mensurâ; & res verè, ac in se minorem habet quantitatem.

Q. 15. *An venditor tenetur aperire vitium ac defectum rei venalis?*

Resp. I. Si emptor quarat an res careat vitio, venditor tenetur ex justitia aperire rei vitia, præsertim occulta. *Est communis sententia Doctorum, inquit Lessius.* Quia alioqui emptorem injustè deciperet: nam emptor habet jus

cognoscendi rem, quàm vult emere, & ut ei secundùm veritatem respondeatur, idque bona fides contractûs postulat. Quare si venditor asserat vitio carere rem, quæ occultum habet, & ideo illicitat emptorem ad eam emendam, aliàs non empturum, tenetur ad rescindendum contractum, si emptor velit: quia dolus illi causam dedit. Si verò eam emisset quidem, sed minoris, venditor tenetur ei restituere ex pretio quanti minoris justè emisset, nam eatenus eum decepit, eique fecit injuriam, l. 13. ff. de actione empti. Quòd si venditor putaret manifesta vitia non deprehendi ab emptore, teneretur etiam illa aperire, inquit Lessius, quia generatim rogat de omnibus.

Resp. II. Si res putetur noxia, vel inutilis ad usum, ad quem petitur, venditor etiam non rogatus tenetur ejus vitium aperire, alioqui tenebitur ad restitutionem pretii dati, & damnorum inde secutorum, ut si vendat, etsi pretio modico, corium fragile, vel pannum adustum pro durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, domum ruinosam pro firmâ, semina corrupta pro recentibus, carnes infectas, ovem morbidam, ex qua grex morbum contrahat, Tigna vitiosa unde ædes corruant, &c. *Est communis, & Constat* 1. ex l. 13. ff. de act empt. & aliis. 2. Quia eo casu censetur emptor involuntarius, & quasi dolo ad emendum inductus, cùm putet mercem bonam, & sibi utilem offerri, talem.

lémque emere velit; & tamen noxia, aut inutilis offertur. 3. *Venditor ex hoc ipso dat emptori damni, vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere possit.* ait. S. Th. q. 77. a. 3. *Sed qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur.* cap ult. *de iniur.* Idem dic si rem vitiosam vendas emptori revendituro, quia eris causa periculi, vel damni aliis emptoribus obventuri ex ignorantia vitii,

Imò si res fit notabiliter minùs utilis, quàm rationabiliter exoptet emptor, tunc venditor tenetur ei defectum rei detegere: quia tenetur cum emptore secundùm voluntatem ejus rationabilem contrahere, id enim exigit bona fides in contractibus servanda. Sic merces, quæ diu servari nequeunt, non licet vendere quærenti res diu servandas.

Porro venditor ignarus vitii occulti suæ mercis, tenetur eo cognito vel rescindere contractum, vel refarcire inæqualitatem, restituendo excessum pretii. Nam injustum est retinere pretium majus, quàm res valeat. Non tenetur tamen compensare alia damna inde secuta, modo absit culpa lata & levis: quia non est causa injusta illorum, cum ignorantia invincibilis eum excuset, sed se habet ut possessor bonæ fidei; & aliunde tenetur ex contractu de sola culpa lata, & levi.

Not. Quamvis dum vitium rei est manifestum, censeatur notum emptori; si tamen

venditor sciat emptorem illud non advertere, & esse periculosum, tenetur ei declarare et si non rogatus. *Ita communiter teste Rebello.* Nam tunc respectu Emptoris est occultum, & error dat causam contractui: deinde bona fides in contractibus debita id exigit. Idem docet Valentia cum aliis, si vitium adverteretur intentioni, quam actu habet emptor in emendo, quamvis ex incuria illud non advertat, quia emptoris incuria nullum dat jus emptori, & nihilominus verum est, quod emptor non vult, nec intendit emere rem cum tali vitio.

Resp. III. Si vitium non reddat rem noxiam nec periculosam, nec notabiliter minus utilem, quam emptor rationabiliter exoptet, nec venditor interrogetur de vitio; *ex communis* non tenetur aperire vitium etiam occultum, modò minuat pretium pro ratione vitii: quia tunc nulla fit emptori injuria, nec damnum; & alias non possent conservari commercia in Rep. Nam si defectus omnes non notabiles in se, nec relatè ad usum emptoris detegerentur, multi ab emendo deterrentur in magnum venditorum detrimentum, vel multum de pretio justo detraherent.

Si tamen venditor probabiliter judicet emptorem rem eam esse revenditurum tanto pretio, quanto si careret defectu, seu vitio, tenetur ei aperire defectum saltem post contractum: quia hoc ipso, quòd rem suam exponat venalem cum occulto vitio, tenetur ex officii

officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiat; & aliàs daret occasionem damni aliis inferendi. Imò si emptor non aliter consentit in contractum, nisi posita conditione, quod res careat tali vitio licet non noxio, & venditor expressè id cognoscit, aut in verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis signis, aut conjecturis, quocunque pretio res vendatur, fit iniustitia emptori, accipiendo pretium non detecto vitio: quia tunc contractus est nullus, cum consensus emptoris fuerit conditionalis, & desit conditio, cui alligatus erat.

Q. 16. Cuinam res vendita perit, vel deterior fit?

Resp. I. Si res vendita pereat post traditionem, fide de pretio data, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit; quia emptor est illius Dominus, cum per traditionem supposito titulo dominium rei acquiratur, res autem perit Domino suo.

Resp. II. Si res pereat ante traditionem, sitque res certa, ac determinata, ut hic equus, hic grex, &c. perit emptori, ex variis legibus & ex *Instit. de empt. § vendit.* ratio est legum dispositio, quæ etsi impediunt dominium ante rei traditionem; tamen statuunt, ut effectus ex eo profluentes, & omnia rei commoda, ac incommoda post perfectam venditionem pertineant

tineant ad emptorem, perinde ac si jam translatum esset dominium rei, ex l. 1. *Cod. de peric. & commod. rei vendit.* & l. 22. *Cod. de act. empt.* Emptio autem, & venditio perficitur solo consensu mutuo contrahentium, seu simul atque de merce tradenda, & solvendo pretio determinato convenerint, dum sine scriptura res agitur, *ex instit. sup.*

Si tamen morâ, vel culpâ levi venditoris, qui tenetur rem custodire, donec tradiderit, res fiat deterior, vel pereat, vel si ita conventum sit, ipse tenebitur de damno. Item si venditio fiat sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori: quia venditio sub conditione non est perfecta ante conditionis eventum, l. 7. ff. *de contrab. empt.* &c. ibi: *conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Ideoque ante illius eventum periculum, & detrimentum rei pertinet ad venditorem. l. 10. ff. *de iure dotium.*

Resp. III. Si res sit indeterminata quoad individuum, ut si emanantur sex modii tritici ex granario, sex oves ex grege: vel si res sit determinata quoad mensuram tantum aut numerum, v. g. totum acervum tritici uno aureo in singulas mensuras, vel hunc gregem taxato pretio in singula capita, &c. tunc ante traditionem, aut mensurationem, vel numerationem res perit venditori, qui proinde tenetur restituere pretium, si erat solutum. Quia ejusmodi

modi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensus fuerit tot modios tritici, &c. ita l. 35. ff. de *contrab. empt.* &c. Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora sit, periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo emptor pretium amittet l. 5. ff. de *peric. & commod. rei vend.* & l. 2. *Cod. eod. tit.*

Resp. IV. Cum ex duabus rebus una disjunctivè venditur, v.g. ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolutè factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licet nihil receperit. Si verò alterutra duntaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere, l. 34. ff. de *contrab. empt. & vend.*

Q. 17. *An venditor potest fructus, & utilitates rei venditæ percipere, donec solvatur pretium?*

Resp. Secluso titulo lucri cessantis, vel damni emergentis non potest, si rem emptori tradiderit pretio promisso. *Est communis.* Quia tunc rei dominium translatum est absolutè in emptorem, ex l. 19. ff. de *contrab. empt.* res autem Domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcisè ob dilationem solutionis: quod verum est etiam si emptor sit in
mora

mora culpabili solvendi pretii, quia non desinit idcirco esse Dominus rei, ac proinde etiam fructuum. Sed tunc tenetur compensare interesse, quod ex dilatione pretii venditor patitur. Hinc quando venditio absoluta dissolvitur ex mutuo consensu, fructus sunt emptoris, cum tempore inter medio fuerit Dominus rei.

Imò non potest venditor accepta solum de pretio fide, fructus rei venditæ percipere, etiamsi res emptori non fuerit tradita, nec persolutum pretium. Quia perfecta venditione sicut rei emptæ periculum, & incommodum spectant ad emptorem, ita & fructus, & comoda ad eum pertinere debent: alioqui inæqualis esset contrahentium conditio, ideoque injustitia. Et ita statuitur *Instit. de empt. & vend.* ubi hæc ratio additur. *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.*

Q. 18. *An licet vendere cum pacto retrovenditionis, & emere cum pacto redemptionis?*

Resp. I. Peccat contra justitiam, qui credito seu non numeratâ pecuniâ vendit alicui merces summo, vel medio pretio, ea lege, ut sibi retrovendantur pretio infimo numeratâ pecuniâ. Quia I. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem persone, & cum contractu re-*
tra-

trovenditionis præviè inito cum intentione lucri.
 2. In pacto ut res retrovendatur venditori infimo pretio, est inæqualitas, ideóque injustitia; nam ultra pretium justum imponitur onus pretio æstimabile retrovendendi pretio infimo, & sic tollitur facultas retinendi, vel vendendi pretio summo, aut medio. Imò hoc pactum reddit contractum usurarium, & facit, ut sit jam mutuum virtuale, in quo aliquid ultra sortem exigitur: nam perinde se habet, ac si venditor minorem pecuniæ summam mutuaret, ut reciperet majorem.

An autem secluso tali pacto, & onere, idem venditor licitè emere possit ab emptore pretio infimo easdem merces? Negant S. Antonin. Toletus & alii. Affirmant plures, seclusâ tamen lege positivâ, quæ in multis locis prohibitum est: quia, venditor easdem merces justo pretio vendidit, & postea emit: nam quilibet alius justè potest merces alteri venditas emere infimo pretio, cur id non liceret etiam venditori, qui relinquit emptori libertatem eas sibi retinendi vel alteri tradendi? Neque eum gravat, sed potius liberat onere quærendi alios emptores.

Resp. II. Venditio cum pacto retrovendendi, & emptio cum pacto redimendi non est licita, nisi positis his conditionibus. 1. Ut nihil fiat in fraudem usurariam, & adsit intentio vera emendi, & vendendi. Alioqui jam esset mutuum implicitum, ideoque lucrum inde pro-

proveniens esset usura. 2. Ut onus impositum compensetur: nam omne onus contractui extrinsecum, & pretio aestimabile compensari debet, aliàs non servaretur æqualitas, & justitia: ac proinde minui debet pretium, si emptor teneatur emptam rem revendere venditori; nam talis obligatio est onus pretio aestimabile, cum privet emptorem facultate eam retinendi, aut aliter alienandi: augeri verò debet, si venditor teneatur rem venditam redimere, si emptor velit, cum hoc onus sit pretio aestimabile, & extrinsecum venditioni. 3. Ut res non redimatur majore pretio, quo prius vendita fuit, nisi melior industriâ vel operâ emptoris effecta sit: nam vis pacti retrovendendi in eo est, ut emptor restituat rem, restituto pretio pro ea dato: perinde est enim cum eo pacto contrahere, ac cum pacto, ut liceat post aliquod tempus contractum dissolvere. 4. Ut emptor fiat verè Dominus rei emptæ, ejusque periculum subeat, & fructus, & commoda percipiat; nam hoc exigit natura contractûs.

Cum his conditionibus pactum illud ex communi, licitum est, cum non repugnet substantiæ contractûs, & aliunde compensetur onus impositum. Emptio tamen rei frugiferæ facta ea lege, ut venditor teneatur postea rem suam recipere, totum pretium pro ea acceptum reddere emptori retinenti sibi fructus, est saltem in praxi usuræ palliandæ obnoxia.

Et

Et re ipsa est mutuum virtuale cum lucro respectu ejus, qui nolens mutuare alteri pecuniam quærenti, emit ab eo, v. g. vineam ea lege, ut post duos aut tres annos redimatur eodem pretio, quo empta fuit, retentis fructibus ex ea perceptis: nam talis non habet intentionem sinceram emendi, sed intendit solum dare pecuniam præsentem ea lege, ut totam postea recipiat cum lucro, quod est usurarium.

Q. 19. An qui rem nomine alterius vendit ultra pretium sibi designatum, sed justum, potest excessum sibi retinere?

Resp. Neg. Quia 1. Dominus præscribens rei suæ pretium, intendit solum ut non minoris vendatur, non autem ne pluri, si justè possit. 2. Totum rei pretium justum, cum succedat loco ipsius rei, pertinet ad Dominum rei venditæ. Nihil ergo ex eo retinere licet, sine ejus consensu.

Nec dic hunc excessum esse fructum industriæ vendentis: nam ipsam industriam vel gratis præstitit, & tunc non potest eam sibi compensare, cum eam donaverit: vel pretio locavit, & tunc nihil ei debetur ultra mercedem pactam; vel si est famulus, tunc ad eam tenetur ex suo officio absque nova mercede: si tamen famulus, vel alter rem illam pretio à Domino designato sibi emat, & postea suo

nomine divendat Paulo majore pretio justo; potest sibi retinere hoc lucrum: quia rem illam justo pretio sibi comparavit, & postea justo pretio suo nomine vendidit. Nisi Dominus ei mandasset, ut venderet, quanti intra latitudinem justii pretii vendi posset, quo casu tenetur illam diligentiam præstare. *Ita Lessius.*

Similiter qui alterius nomine rem emit infra pretium sibi præfinitum, non potest residuum pretium sibi retinere: quia præscribens pretium non intendit excessum donare, sed solum vult, ut res non pluris ematur. Hinc factores peccant retinendo excessum pretii dati ad emendum pannum; vel si faciliores sint in licitando, eo quòd à mercatore aliquid obtineant; nam tenentur aliorum negotium à se susceptum utiliter gerere perinde, ac suum. Et hoc ipso quòd quis mandatum alterius suscipit, se obligat ad ejus commoda procuranda; nec aliter res gerenda alteri committitur. Neque possunt operam impensam occultè compensare, nam sufficienter compensatur per hoc, quod iis præ aliis vestis facienda committatur, & communi pretio persolvatur. Deinde qui negotium alterius suscipit nihil petendo, censetur velle suam operam gratis præstare, ex l. 1. ff. *Mandat. &c.*

Q. 20. *Cuinam res debetur, dum fuit duobus
successive vendita?*

Resp. Ex communi, si res neutri tradita sit, debetur priori emptori: quia res illa non poterat vendi alteri sine injuria prioris emptoris, qui jus ad illam prius habet, l. 26. ff. *locat.* Si verò res tradita sit secundo emptori; hujus est, quia per traditionem acquisivit ejus dominium, l. 15. *Cod. de rei vindict.* priori autem competit solum actio in venditorem, ut vel rescisso secundo contractu rem sibi tradat, vel compenset interesse: nam secundum leges solo contractu sine traditione non acquiritur dominium.

Excipe nisi res vendita, vel donata sit civitatibus, aut Ecclesiis, vel piis causis: nam per solam emptionem, aut donationem, ante traditionem acquirunt dominium. Potest tamen prior emptor rem evincere à posteriore, si hic emit mala fide, hoc est, sciens rem jam esse alteri venditam. Imò hic posterior tenetur spontè rem priori tradere, recepto pretio, si impulerit venditorem ad sibi iterum vendendum, sciens rem jam esse alteri venditam: quia violat jus prioris emptoris, & est causa injusta venditionis, & damni inde secuti; unde tenetur injuriam à se illatam tollere, & resarcire.

Not. Hoc idem procedit in aliis contractibus, v. g. in locatione: nam si secundo conductori res locata tradita fuerit, is præfertur

Ll 2

priori:

priori: quia habet tunc rei detentionem, à qua expelli non debet.

Q. 21. An Monopolia licita sunt?

Not. Monopolium propriè est, cùm unus, vel pauci efficiunt ut merces certas vendant, emantve soli, vel etiam plures inter se conveniunt, ut merces aut operas non vendant, nisi certo pretio. Non agitur hic de monopolio latè sumpto, seu factò auctoritate publicâ, cum scilicet unus vel pauci facultatem à Principe obtinent, ut ipsi soli certas merces vendant: nam patet hoc esse licitum, si fiat ob justam causam, & justo pretio: quia hoc interdum postulat bonum commune, ne scilicet deseratur rerum aliquarum negotiatio, vel artificium: sunt enim aliquæ merces, quæ sine magnis sumptibus comparari nequeunt, quos sumptus ob damni periculum nemo vellet in se suscipere citra privilegium, ut solus venderet, ut liquet in librorum impressione. Præterea id potest Princeps, cùm ipsi necessaria est pecunia ob bonum commune; sed tunc moderatè taxari debet pretium illarum mercium, præsertim si sint communiter necessaria ad commodè, civiliterque vivendum: nam aliàs daretur occasio privatis alios pro arbitrio gravandi, magnòque damno afficiendi.

Resp. Quælibet Monopolia auctoritate privata

vata facta, sunt prohibita non solum lege humanâ, Cod. de Monopol. sed etiam divina naturali: nam sunt 1. Contra charitatem, vetantem ne quis impediatur commodum aliorum, & efficiat ut proximus rem carius emat, quam esset empturus; nemo enim vellet id sibi fieri. 2. Contra bonum commune, cum multis noceant. 3. Contra justitiam commutativam, ideoque obligant ad restitutionem: nam populus habet jus, ut non augeantur privata auctoritate, & ob bonum privatum, pretia rerum, vel caritas variis machinationibus inducatur.

Quatuor modis & quidem contra justitiam fiunt, 1. Cum pauci vel plures inter se conveniunt, ut merces, aut operas non vendant nisi certo pretio, licet non excedente summum vigens ante conventionem, vel non emant nisi infimo: nam hi violant jus, quod singuli habent emendi pretio medio, vel infimo, & vendendi summo, aut medio; impediendo privata auctoritate, ne sic jam emere, vel vendere possint, & restringendo pretium ad summum, vel infimum. *Ita multi.* contra alios fatentes tamen esse contra charitatem, imò etiam contra justitiam, si summum pretium excedant. 2. Cum quis vi, metu, vel fraude impedit ne merces aliunde advehantur: nam cives habent jus, ne impediatur eorum commodum, præsertim injustâ viâ. *Ita communis.* 3. Cum unus, vel pauci emendo omnes ferè merces

certi generis, v. g. frumentum, inducunt charitatem. *Ita communis.* nam inducere charitatem est contra jus populi, & dare illi causam damni: unde hos in raptorum numero recenset Catechismus Romanus. Vel nolunt postea vendere, nisi summo pretio: nam impediunt privata auctoritate, ne jam alii possint emere medio, aut infimo pretio, contra illorum jus.

4. Cùm mercatores supprimunt merces suas, ut inde earum pretium crescat: quia efficiunt, ut augeatur earum pretium perinde, ac si raræ essent, cùm tamen raræ non sint. Deinde Resp. habet jus emendi res venales eo pretio, quod spectatâ earum copiâ justum censetur. Secus, si quis suas res nondum venditioni expositas servet usque ad tempus, quo carius venduntur, modo hac suppressione non inducatur charitas; tunc enim nemini fit injuria, nec occasio damni datur.

Porro ad hanc injustitiam pertinet, si apponatur fictus licitator, ut alter emptor augeat pretium. Item si artifices conspirent ad non docendam artem suam, nisi certo pretio injusto; vel ut opus ab uno inchoatum alter non perficiat; quod prohibetur, l. uno Cod. de *Monopol.* nam hæc conventio cedit in damnum aliorum.

Q. 22. *Quenam vendere non licet?*

Resp. *Ex communi omnium sententiâ, non licet*

licet vendere nec emere 1. Res spirituales, vel spiritualibus annexas, quia Simonia est. 2. Ea, quæ iuxta legem prohibentur: nam leges iuxta obligant in conscientia. 3. Ea, quibus emptor non potest uti sine peccato, vel quæ moraliter non nisi ad nocendum inserviunt, vel quibus prævidetur emptor usurus ad peccandum, vel ea quibus homines communiter malè utuntur, & quæ sunt occasio emptoribus peccandi, nisi constet hunc emptorem benè usurum: quia esset cooperari peccato alterius, vel eum exponere periculo peccandi, imò ei instrumentum, & materiam peccandi præbere. Hinc peccat mortaliter, qui vendit obscenas imagines, vel librum contra Religionem, aut bonos mores, aut famam proximi. Sed qui ejusmodi res habet, tenetur eas destruere. Quòd si inde damnum patiatur, id sibi imputet: nam tales libros non debuit sibi comparare; nec ideo magis excusatur, quam qui falsam monetam ignoranter ab alio accepit, quam tamen aliis tradere non potest.

Sed an peccat mortaliter qui vendit sal, aut alias merces sola lege civili prohibitas?

Resp. Aff. Non solum quia violat legem Principis, sed præsertim quia se exponit mortali periculo vitam, aut libertatem, & bona omnia amittendi cum exitio familiæ. Est autem mortale saltem contra charitatem tali pe-

riculo se exponere, ob aliquod commodum temporale longè inferius damno, cui se exponit. Quare nec licet aliis ista emere, quia dant occasionem peccato vendentium.

Q. 23. Quenam sunt obligationes emptoris, & venditoris?

Resp. Præter hæcenus dictas tenetur ex iustitia constituto tempore emptor solvere premium promissum, & venditor tradere mercem; nam ex contractu oritur jus strictum, & obligatio iustitiæ.

Q. 24. Quid dicendum de Retrahtu gentilitio?

Resp. I. Est Jus concessum proximo consanguineo venditoris ad rescindendam intra certum tempus, & ad se revocandam venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo res illa ab extraneo, vel à remotiore consanguineo empta fuit. Quod jus concessum est ad bona immobilia intra consanguineos conservanda; quare non potest extraneo vendi, nec dari.

Resp. II. Peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. 1. Consanguineus, qui rem venditam retrahit animo eam alteri suo nomine comparandi; quia lex non dat jus retrahendi, nisi ut sibi retineat. Imò sæpè juramento affirmare cogitur velle sibi retinere. 2. Ex-
tra-

traneus, qui nomine consanguinei ab emptore rem emptam vindicat; nam facit emptori injuriam. 3, Qui fraudibus, vel minis impedit consanguineum, ne rem sibi retrahat, vel qui ab eo majus pretium exigit, quàm dederit: nam illius Jus violat.

CAPUT VI.

De Locatione, & Conductione.

Q. I. *Quid sunt?*

Resp. **Q** Locatio est contractus, quo rei usus vel fructus, vel personæ opera pro certo pretio conceditur ad tempus. Conductio est contractus, quo rei usus, vel fructus, aut personæ opera pretio accipitur. Unde sunt unus, idémque realiter contractus mutuus, qui ex parte dantis est locatio, & ex parte accipientis est conductio. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

Porro, *Locatio, & conductio proxima est emptioni, & venditioni, iisdémque regulis juris consistit.* Instit. l. 3. tit. 25. nam sunt emptio, & venditio usûs, aut fructûs rei, vel operæ personæ. Hinc nunquam licet locare pretio justo majore, nec conducere justo minore.

Q. 2. *Quenam sunt obligationes locatoris, & conductoris ad se invicem?*

Resp. I. Ex communi, locator tenetur 1. Aperire conductori vitia rei locandæ, ut dixi de te vendenda: nam locatio, & conductio iisdem regulis consistunt. Alioqui tenebitur conductori de damno, etiamsi illud vitium locator ignoret, sed culpabili er, ex l. 19. ff. locati, ibi: Si quis dolia vitiosa gnarus locaverit, deinde vinum effluerit, tenebitur in id, quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata. Quia locator tenetur expendere diligenter, num res, quam locat, sit apta usui, ad quem datur, nec noxia; idque postulat æquitas, & natura locationis, quæ instituta est in commodum utriusque contrahentis.

2. Tenetur ad impensas necessarias tum ad reparationem rei locatæ, tum ad convenientem usum ad quem locatur: nam debet reddere rem aptam ad usum conductoris, etsi hanc aptitudinem amisit, eandem reddere, cum pretium propter usum accipiat, l. 15. ff. locat. Quòd si à conductore aliquid in hunc finem fuerit necessario impensum, v. g. in curationem equi, restorationem domûs, &c. tenetur locator id rependere, ex l. 55. ff. locat. nam si talis obligatio oritur ex commodato, quod gratis fit, à fortiori exsurgit ex locato, in quo merces accipitur. Item tenetur ad onera publica ad eam pertinentia, nisi aliter conventum sit, servata æqualitate.

3. Te.

3. Tenetur remittere pretium locationis pro eo toto tempore, quo conductor non potuit uti re, vel operâ locatâ; si impedimentum proveniat ex parte locatoris, vel rei locatæ, ex l. 27. & 3. ff. *locat.* nam conductor non censetur promittere pretium, nisi quatenus re locata uti, aut frui poterit, quantum est ex parte locatoris, & rei locatæ; & tunc nihil esset, quod pretium mereretur. Agrorum autem locator tenetur pensionem totam remittere colono, si hic sine suâ culpâ, sed ob sterilitatem, vel grandinem nihil recipiat, vel si vi tempestatis, hostium depopulatione, aut incendio absque Coloni culpa segetes pereant etiam collectæ in manipulos, l. 15. ff. *locat.* quòd si Colonus aliquid receperit, sed sterilitas, vel jactura fuerit magna, tunc locator tenetur imminuere pensionem pro rata, *nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequæntis anni valeat sterilitas compensari.* cap. 3. de *locat.* quæ intellige, nisi Colonus convenerit ab initio, ut quovis eventu solvere teneatur integram pensionem, quæ ob hoc onus minor sit, ex l. 9. ff. *locat.* nam tunc conductor cedit jure suo, quod compensatur.

4. Si rem locatam Dominus vendat, debet ea lege divendere, ut conductor eadem conditione apud emptorem maneat; à quo si domo, vel fundo pellatur, tenetur venditor conductori de damno, l. 25. ff. *locat.*

5. Tenetur ad non privandum conductorem

rem

rem re locata antè terminum constitutum, alioqui tenebitur ad interesse: quia conductor per contractum acquisivit jus utendi, vel fruendi reusque ad illud tempus. Excipiuntur, cap. 3. *de locat* & l. 3. *Cod. de locat.* quatuor casus, in quibus conductor ante terminum amoveri potest. 1. Si casus improvisus accidat, ob quem res locata sit necessaria Domino, ut incendii, matrimonii, &c. 2. Si res locata, v. g. domus egeat refectione, seu instauratione, sed remitti debet pensio pro residuo tempore. 3. Si conductor pensionem per biennium non solverit. 4. Si re locata ad malos usus, vel ad damnum inferendum utatur, aut rem destruat.

Denique Locator tenetur rem non locare ei, qui eam malè usus est: quia hoc esset ei dare occasionem, seu commoditatem peccandi, ejusque peccatis cooperari, perinde ac si daret enssem ei, quem sciret uti velle ad duellum.

Resp. II. Ex communi Conductor tenetur 1. Uti re locata juxta boni viri arbitrium, & non ad alios usus præter concessos: nam qui usurpat usum aliquem rei alienæ sine consensu Domini, peccat contra justitiam.

2. Tenetur pro illius conservatione eam curam adhibere, quam diligentiores, ac prudentiores in re sua simili impendere solent. Quare si ex ejus culpa lata, vel levi, res pereat, aut deterior fiat, tenetur ad restitutionem: nam contractus cedit in utriusque utilitatem. Imò tene-

tenetur etiam de culpa famulorum, operario-
rum, & eorum, quos admittit, si ex negligenti-
a non impedivit, vel si idoneos non condu-
xit, vel malos homines admisit, l. 11. & l. 25.
ff. *Locat.* Item curare debet, ut nullum de-
trimentum Dominus patiat, sive quoad jus
rei, sive quoad ejus substantiam, & tenetur de
casu fortuito eveniente ex eo, quod aliquid
egerit contra pactum, l. 11. ff. *locat.*

3. Tenetur ad impensas modicas, & quo-
tidianas necessarias ad conservationem rei
conductæ, v. g. ad equi alimenta.

4. Tenetur pensionem statim tempore solve-
re, nam hæc tunc ex justitia debetur: unde si
sit in mora culpabili, tenetur locatori de in-
teresse, l. 17. *Cod. de locat.* Quod si re con-
ducta uti, vel frui non potuerit, ob causam
non proveniente[m] ex parte sua, v. g. ob bel-
lum, vel si domus ex parte corruat, si equus
morbo afficiatur, non tenetur solvere pensio-
nem pro eo tempore, ex l. 27. & 33. ff. *locat.*
ob rationem supra dictam. At si non possit
ea re uti, aut frui, ob causam ex parte sua licet
sine culpa sua proveniente[m], tenetur totam
pensionem solvere, etiam pro toto tempore
quo non potest uti: nam æquitas postulat ut
locator damnum non patiat, ob causam su-
pervenientem ex parte conductoris, & sicut
conductor non tenetur solvere pensionem,
quando potest uti re conductâ ob causam
provenientem ex parte locatoris aut rei loca-

ta: ita par est, ut locator percipiat pensionem quando conductor non potuit uti re conductâ, ob causam ex parte sua proveniente.

5. Tenetur rem conductam non dimittere antè terminum constitutum: alioqui tenetur solvere integram pensionem, perinde, ac si eâ re usus esset, nisi ejus usus impediatur ob causam non proveniente ex parte sua: quia tenetur servare contractum, l. 53. ff. *Locat.* Porro nisi aliter conventum sit, conductori licet rem sibi locatam locare alteri, æquè idoneo, qui primo conductori tenebitur pensionem solvere, & hic primo locatori, l. 6. *Cod. de locat.*

6. Rem locatam completo locationis tempore restituere locatori: nam non habet jus eam diutiùs detinendi; aliàs tenetur de damno.

Not. Licet rei locatæ periculum maneat penes Dominum, tamen ex l. 23. ff. *de reg. jur.* potest apponi pactum, ut conductor præstet casus fortuitos, & in se suscipiat periculum omne rei locatæ. Sed hoc onus imminutione pretii compensari debet: alioqui esset inæqualitas, ideóque injustitia.

Q. 3. *Quænam sunt observanda circa locationem operariorum, & famulorum?*

Resp. *Ex communi sententia Doctorum ista.*
I. Ju-

1. Justum stipendium locationis operæ famulorum, ancillarum, & operariorum censetur illud, quod illis communiter in illis locis dari solet. Nam petitur à communi æstimatione: pretium quippe operarum, & obsequiorum perinde ac rerum venalium potest habere latitudinem summi, medi, & infimi, quando non est lege taxatum. Quare si quis exigat stipendium majus summo, vel solvat minus infimo, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, perinde ac vendens supra summum, vel emens infra infimum: nam tunc tollitur justitia inter pretium, & operam. Item stipendium censetur justum, quando multi alii reperiuntur, qui libenter talem operam, tale munus, tale obsequium pro tali stipendio sunt præstituri: nam illud pretium communi æstimatione justum censetur, quod non solet tanquam insufficiens recusari, aut quod uno recusante statim admittitur ab alio.

2. Si nulla facta sit pactio, & pretium relinquitur arbitrio conductoris, hic tenetur dare infimum saltem mercedis justæ pretium: nam talis conductio est quædam emptio obsequiorum, quæ semper exigit pretium justum: & quamvis alter nullum pretium determinarit, non intendit tamen totum obsequium, vel ejus partem gratis præstare; sed mens ejus est, ut solvat conductor, quod justum esse judicaverit secundum communem æstimationem.

3. Si famulus, vel operarius se ultrà obtulerit

lerit Domino, & hic illius operâ non egeat, sed solum ex charitate ad preces ejus eum conducatur; tunc tenetur ei dare alimenta; & si ejus opera conductori afferat utilitatem, quâ pluris ei valeat, quàm alimenta, tenetur præter alimenta dare pretium æquale valori utilitatis inde perceptæ. Nam alter non intendit operam suam donare, sed vendere justo pretio, non ex mera voluntate, sed ex æquitate constituendo; & Jure naturali *dignus est operarius mercede suâ*, Luc. 10. Quare cum opera pluris valeat conductori, quàm alimenta, compensari debet ex justitia juxta hanc valorem. In tali autem casu opera æstimari debet ex utilitate quam conductor ex eâ percipit, nam in talibus circumstantiis secundum communem æstimationem non plus valet.

4. Si operarius, vel artifex convenerit de pretio minore quàm valeat ejus opera, vel opus, falsò putans opus, v. g. ædificium minore tempore, & labore, vel sumptu egere; tenetur conductor supplere defectum justii pretii, etiam si læsio fuerit intra dimidium justii pretii: quia alioqui esset inæqualitas inter pretium, & operam, vel opus, ideòque injustitia. Neque enim spontè, ac scienter, sed ex ignorantia consensit in pretium justo minus, nec spontè donat id, quod deest. Præterea qui emit aliquid pretio proposito, sed inæquali tenetur complere pretium saltem infimum, ut tollatur inæqualitas.

5. Si

§. Si conductor non possit operâ alterius conductâ uti, ob impedimentum, quod non proveniat ex parte operarii, tenetur totam mercedem pactam ei solvere, perinde ac si operas suas impendisset, l. 38. ff. locati ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quò minus operas præstaret.* Nam fidem contractûs impleri æquum est; & locator habet jus, ut non patiatur damnum, ob causam non provenientem ex parte sua, sed si operarius ex opera sua alibi impensa aliquid lucratus fuerit, conductor potest tantundem detrahere de pretio conductionis, vel nihil dare si tantundem lucratus fuerit, ex l. 19. ff. locati. quia locator nullum damnum sustinuit, & opera illa ratione conductionis erat conductori debita. Si verò locator operam conductam non præstet, ob impedimentum ex sua parte proveniens, licet sine sua culpa, non debetur illi merces, & accepta restitui debet, ex l. 38. cit. Nam conductor non se obligavit ad dandum pretium pro opera, quæ præstari nequeat ob causam provenientem ex parte locatoris. Imò ipse tenebitur ad interesse conductoris, si operam toto tempore non impenderit: quia est causa injusta damni, cum hoc oriatur ex non servato culpabiliter contractu, qui ex justitia impleri debebat.

6. Benè laborantibus justum stipendium statim solvi debet, nam habent jus statim accipi-

cipiendi post operam præstitam. *Quicumque sibi aliquid operatus fueris, statim ei mercedem restitue. Tob. 4.* Si verò non benè laboraverint, peccant contra justitiam, nec debetur illis stipendium, nisi pro æstimatione laboris: quare si integrum receperint tenentur vel supplere defectum laboris, vel restituere excessum stipendii, cùm ad eum ius non habeant, imò & compensare conductori damnum, & lucrum cessans: nam fuerunt causa illius iniusta, cùm tenerentur ex conventionem diligenter laborare.

CAPUT VII.

De Censu, Emphyteusi, & Feudo.

Q. 1. *Quid, & quotuplex est Census?*

Resp. **Q** Censu alius est reservativus, & alius consignativus. Censu reservativus sumptus pro contractu, est ille, quo quis in alterum transfert rei suæ dominium directum, & utile, reservato sibi jure pensionis annuæ super eadem re. Hunc licitum esse patet, nam sicut quis potest rem suam tradere, vel non tradere, ita & tradere reservato sibi jure pensionis.

Censu consignativus sumptus pro contractu, est contractus, quo emitur, & venditur jus percipiendi pensionem annuam ex re, vel persona alterius, vel utraque. Sæpè sumitur pro

pro tali jure, hic census dividitur 1. in realem, qui fundatur super re aliqua, ut prædio, domo, &c. Ita ut ex ea re pensio debeatur, ad quemcunque res illa transeat, donec census redimatur, in personalem, qui constituitur immediatè super persona alterius, eam obligando immediatè, bona verò ejus mediatè tantum; & in mixtum, qui fundatur super utrisque, ita ut re pereunte adhuc persona maneat obligata. 2. In vitalitium, qui extenditur solum ad vitam unius, vel plurium; estque virtualis sponso nixa eventu fortuito; & in perpetuum, seu donec redimatur.

Censum realem esse licitum declararunt Martin. V. & Callixt. III. Sed re, super qua fundatur, destructa, perit, nam corruente fundamento perit res in eo fundata: ut si domus, vel molendinum corruant, perit census super his fundatus, ita ut jam nihil liceat exigere à venditorè.

Q. 2. *An jure naturæ licitus est census consignativus personalis, vel mixtus?*

Resp. Communior, inò nunc communis sententia affirmat, modò ematur justo pretio, id est lege, vel consuetudine constituto, & venditor census possit suâ opera, vel industriâ lucrari; aut habeat bona in re, vel in spe certa, ex quibus pensio duci possit, nec obligetur ad censum redimendum, licet semper pro libito eum redimere possit eodem, quo vendidit, pretio.

M m 2

Prob.

Prob. 1. Ex communi praxi piorum, & eruditorum in Galliâ & Belgio, &c. 2. Quia pretio æstimabile est, adeoque potest emi, & vendi jus ad pensionem non solum ex re frugifera, sed etiam ex persona alterius, quæ potest lucrum facere ex labore, industria, vel ex bonis suis saltem per alios, & quæ proinde potest obligari immediatè ad pensionem solvendam; cum quis possit in alterum transferre jus percipiendi aliquid à se acquisitum, ergo & vendere. Nec refert quod decursu temporis pensiones percipiendæ summam pretio dato majorem efficiant: nam non emuntur illæ pensiones, sed jus ad illas percipiendas. At jus ad pensiones per partes, & tot intervalla annorum recipiendas non pluris æstimatur, quàm summa simul habita, licet minor illis pensionibus collectivè sumptis: quia illa summa divisa per multas partes multaque, ac longa temporum intervalla, cum incertitudine recipienda, & variis incommodis exposita, minoris valet secundum prudentum æstimationem, quàm istarum partium collectio simul habita, quæ opportunior, ac utilior est ad quodlibet lucrum, ac negotiationem, & nullis incommodis obnoxia. Et verò in emptione agri pretium commune censetur justum, licet diuturnitate temporis fructus superent pretium agri. 3. Teste Toletio Nicol. Papa an. 1450 approbavit hunc contractum ad petitionem Alphonsi Regis Arragon.

Obj.

Obj. 1. Contractus censualis personalibus videtur esse mutuuum virtuale.

Resp. Neg. Nam ille census est emptio non pensionis, sed iuris ad pensionem, pro pretio ab emptore irrevocabiliter dato: unde nec in eo emitur pecunia, sed ius ad pecuniam, nec pecunia data potest unquam repeti. At in mutuo datur pecunia præsens pro pecunia futura æquali tota simul solvenda, quæ potest à mutuante post certum tempus exigi.

Obj. 2. S. Pius V. in Bullâ, *Cum onus* statuit censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura frugifera.

Resp. In hoc non explicat ius naturale, nec divinum, sed solum sancit ius humanum, quod in Gallia, & in multis aliis locis non viget.

Not. Non licet pensiones debitas coniungere forti, & per illas eam augere, & postea exigere maiorem pensionem: nam id prohibetur Jure Cæsareo, & Gallico, & à Pio V. Porro quando redimitur census, non potest cogi emptor ad recipiendum pretium per partes, sed totum simul reddi debet, nisi aliter iuste conventum sit; nam in eo onus, & damnum sentiret.

Q. 3. An licitus est census utrinque redimibilis?

Resp. Neg. Quia census præsertim personalis utrinque redimibilis, seu factus cum

conditione, ut venditor teneatur illum redimere, sicut potest cogere emptorem ad illum redimendum, videtur mutuum implicitum, ac virtuale, ex quo aliquid ultra sortem exigitur: in eo enim emptor dat pecuniam ea lege, ut totam ad certum tempus recipiat cum lucro quod est mutuare ad usuram sub emptionis larva. Et verò si talis contractus liceret, usura saltem cum mercatoribus posset per illum excusari, modò minus lucrum exigatur, quàm sit pensio annua census irredimibilis ad nutum emptoris. Quare Toletus, l. 5. c. 47. docet in censu personali non posse venditorem cogi ad redimendum censum, *quia tunc videtur mutuum virtuale.*

Q. 4. *Quid sunt Emphyteusis, & Feudum, & ad quid obligant.*

Resp. I. Emphyteusis est contractus, quo res immobilis conceditur quoad dominium utile, sub onere annuæ pensionis solvendæ proprietario retinenti dominium directum, idque vel in perpetuum, vel ad unius, aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus. Differt à locatione, quòd emphyteusis constitui solum possit in re immobili, & ad tempus non minus decennio, & quòd per eam transferatur dominium utile.

Emphyteuta tenetur i. Certam pensionem, vel in pecunia, vel in fructibus Domino directo solvere statis temporibus: alioqui amit-

tit

tit rem emphyteuticam cum omnibus impensis in ejus meliorationem factis, si non solverit per biennium pro Ecclesiastica, per triennium pro sæculari. 2. Rem concessam fructuosiore facere, aut saltem non deteriorem, nam ad hunc finem præcipuè conceditur.

Resp. II. Feudum pro contractu est concessio rei immobilis, vel æquipollentis quoad dominium utile, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis Domino directo præstandi. Differt ab emphyteusi præsertim, quòd in puro feudo non debeatur pensio, sed solum obsequium personale, ad quod datur.

Feudatarius tenetur 1. Præstare juramentum fidelitatis. 2. Suo tempore requisitus obsequia debita præstare. 3. Non debet disponere de feudo sine consensu infeudatoris. Amittit autem feudum neglectu obsequiorum, & ob crimen felonix, id est, belli contra Dominum directum gesti.

CAPUT VIII.

De Contractu Societatis.

Q. I. Quid est Contractus Societatis?

Resp. Est duorum, vel plurium conventio contribuendi aliquid ad communem quæstum, vel usum. Sunt qui addunt, & sustinendi commune damnum . . . Esse licitum Constat. 1. Ex Jure civili. ff. & Cod. pro socio.

cio. & Jure Canonico cap. 7. *de donat inter vir.*
 &c. Ubi mandatur dotem uxoris ad lucrum
 dari mercatori, nimirum in societatem. 2.
 Quia licet convenire ad lucrum ex pecunia,
 & industria captandum, servata æqualitate:
 quamvis enim pecunia de se sterilis sit, non
 est tamen sterilis ut subest industriæ tanquam
 instrumentum negotiationis quæstuosæ. Et
 hæc societas valdè differt à mutuo; nam in ea
 qui confert pecuniam, retinet illius domini-
 um, & subit ejus periculum ac damnum, quod
 non fit in mutuo. Unde ultra sortem, potest
 accipere aliquid tanquam fructum suæ pecu-
 niæ negotiationi & periculo expositæ, vel ani-
 malium de se fructuosorum.

Q. 2. *Quenam ad justitiam societatis requi-
 runtur?*

Resp. *Ex communi sequentia.* 1. Ut nego-
 tiatio sit licita, alioqui societas esset mala, &
 nulla, l. 57. ff. *pro socio.* 2. Ut singuli socii ali-
 quid aptum ad lucrum faciendum conferant
 in commune; sive pecuniam, sive operam,
 ac industriam, sive animalia, vel instrumenta,
 ut navem, equos, &c. qui enim in ea nihil con-
 fert utile, non habet jus ex ea emolumentum
 percipiendi. 3. Ut lucrum dividatur inter so-
 cios pro rata portione eorum, quæ quisque
 contulit, l. 29. ff. *pro socio.* alioqui non serva-
 retur æqualitas. 4. Ut impensæ, damnum, ac
 periculum sint communia, l. 67. ff. *pro socio.*
 ibi.

ibi. cum societas contrahitur, tam lucri quàm dam-
 ni communio initur. Et verò societas est quæ-
 dam fraternitas; & æquitas postulat, ut qui
 sentit commodum, sentiat & onus, juxta reg.
 jur. 5. Ut si res vel pecunia collata pereat ci-
 tra culpam latam, & levem socii, pereat ei,
 qui contulit, quia hic retinet illius dominium:
 res autem Domino suo perit. Quod si pereat
 ex culpa lata, & levi socii, hic tenetur eam re-
 stituere Domino, l. 70. ff. pro socio. nam qui
 rem alterius accipit, tenetur ex culpa lata, &
 levi, quando contractus cedit in utilitatem
 utriusque. Tamen juxta Doujat. in Gallia
 socii non tenentur, nisi de culpa lata, & dolo.
 6. Ut ad certum tempus inæatur societas, ante
 quod repetere non liceat, quod in eam colla-
 tum est: nam hoc exigit finis societatis.

Ex his patet finita societate sortem reddi
 debere Domino, & lucrum, quod ea dempta
 superest, dividi inter socios pro rata contribu-
 tionis ad societatem: nam alter remanet Do-
 minus pecuniæ collatæ; nisi tamen pecunia
 communicata fuerit socio, aut aliter justè con-
 ventum sit, ita declaravit Sixtus V. Constit.
Detestabilis.

*Q. 3. An licitus est Contractus societatis
 triplex?*

Not. 1. Contractus triplex est ille, quo pe-
 cuniam in societatem conferens paciscitur
 cum altero socio, ut quidquid contingerit, sibi

Mm s

sua

sua fors integra reddatur cum certo lucro, sed minore eo, quod probabiliter sperare potuisset. Dicitur triplex, quia in eo tres contractus sive formaliter, sive virtualiter, contineri dicuntur. 1. Et principalis est contractus societatis, quo confers pecuniam in societatem. 2. Est contractus affecurationis fortis, pro qua cedis socio magnam partem lucri sperati, v. g. si sit spes ex centum aureis lucrandi triginta, quorum media pars ad te pertineret, ex iis cedis quinque pro affecuratione fortis, retentis tibi decem. 3. Est venditio lucri scilicet majoris sperati incerti pro certo, sed minori, v. g. hanc spem decem aureorum vendis pro quinque certo solvendis. Unde conferens in societatem centum aureos, per alios contractus hanc summam servas indemnem, & certum ex ea lucrum facis, scilicet quinque aureorum.

Not. 2. Consentiant omnes non licere hos contractus celebrare cum eo, qui non putetur ex ea negotiaturus, v. g. cum paupere, qui indiget illâ pecuniâ ad suam sustentationem, vel ad solvenda debita: quia tunc non esset nisi ficta societas, quæ usuram velaret, nec verus esset titulus aliquid supra sortem exigendi.

Resp. Contractus triplex videtur jure naturali illicitus. Ita S. Antonin. S. Bernardin. Panormitan. Azor, Rebellus, &c.

Prob. Quia r. in illis aliquid exigitur ultra sortem absque titulo, quod est injustum: si quis

quis est titulus, maximè societas, sed hæc destruitur per affecurationem sortis: societas enim essentialiter exigit, ut damnum, ac periculum, sicut lucrum, sit inter socios commune; nam *cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur.* l. 67. ff. pro soc. 2. Totum jus lucrandi in societate per solam pecuniam sine opera, & labore, fundatur in periculo, cui quis pecuniam suam committit in negotiatione: nam pecunia otiosi Domini non potest ei esse instrumentum quaestuosum, nisi quatenus ejus periculo negotiationi subjicitur, ex S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. ibi: *Ille qui committit pecuniam suam, vel mercatori, vel artifice, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus: ita quod cum periculo ipsius mercator de eâ negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expectare tanquam de re suâ.* Enimverò pecunia de se sterilis est, nec alia ratione fructuosa, nisi vel per industriam utentis, vel per hoc, quòd periculo exponatur in negotiatione. At posita affecuratione solùm conceditur usus pecuniæ, ut pecuniæ nulli periculo expositæ, ideòque prorsus sterilis, & quæ nullum Domino fructum parere potest. 3. Violatur æqualitas in societate servanda, si qui nihil confert, nisi quod est de se sterile, participet de lucro, & nihil de damno, nec periculo; sitque certus de sorte, & lucro: alter verò non
 fit cer-

sit certus de ullo lucro, & subeat omne periculum operæ propriæ, ac pecuniæ alienæ. Hinc l. 52. ff. pro socio. dicitur: Sicuti lucrum, ita damnnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit. 4. Sixtus V. tres contractus in Bullâ detestabilis damnavit ut per se illicitos his verbis. Irrepsit enim versute, & calidè antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines... ut seipso in usurarum voraginem Deo hominibusque odiosam, sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam, scædè immergant; & dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras, ac caelestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus hoc malum quasdam Provincias pervasisse... proinde nos... ut gregem dominicum... ab offensione, & vitæ æternæ discrimine tutum in viam salutis dirigere nitamur, huiusmodi morbi contagionem, antequam in comunem fidelium perniciem latius serpat... tollere cupientes... Damnamus & reprobamus omnes & quoscumq; contractus, conventiones & pactiones post hac ineundos seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, fors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summâ in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur. Statuimusque ejusmodi contractus, conventiones

& pa-

Et pactiones usurarios, ac illicitos posthac censeri debere... ac ne de cetero societates ineantur sub huiusmodi pactis, Et conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdiciamus Et prohibemus.

Nec obstat, cap. 7. de donat. quia Innoc. III. ibi solum permittit uxoris dotem dari mercatori, ut de partè honesti lucri vir onera matrimonii possit sustinere, nulla facta mentione affecurationis. Nec refert quòd aliàs exponeretur dos periculo; quia dos erat securior apud mercatorem, quàm apud ejus maritum dilapidatorem, nec cautionem dare valentem.

Objic. 1. Licet sit de natura societatis puræ, ut commune sit periculum, ac damnum inter socios, perinde ac lucrum: potest tamen vi alterius pacti redimi hoc periculum per compensationem. Nec magis per affecurationem destruitur societas, quàm contractus depositi, & commodati, vel locati: nam etsi periculum rei depositæ, commodatæ, locatæ suapte naturâ pertineat ad rei Dominum; pacisci tamen sub justa mercede licet, ut alter totum periculum subeat. 2. L. 29. ff. pro socio dicitur: Ita coiri societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat, Et. 3. Securitas, & lucrum certum non præstantur ex vi contractûs societatis, sed ob remissionem majoris lucri sperati, & vi alterius contractûs. 4. Ad æqualitatem contractûs satis est, quòd commoda æquivalent in-

com-

commodis: periculum autem sortis, quod subit socius, satis compensatur per majus lucrum speratum: & sic non est societas leonina, quâ totum periculum rejicitur in socium, nec id onus aliunde compensatur. 5. Tres contractus seorsim & cum diversis personis liciti sunt, ergo & simul cum socio: nam quæ facta cum diversis & seorsim justa sunt, etiam simul cum eodem facta justa sunt; justitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non verò in habitudine ad diversas personas & tempora. 6. In triplici contractu non intervenit mutuum: quia non transfertur dominium pecuniæ in socium: nam hic non potest de pecunia sibi in societatem data disponere pro libito, etiamsi eam affecuraverit, sed hanc tenetur vi contractus societatis in negotiationem ad lucrum impendere; alias faceret injuriam conferenti, qui ideo posset contractum rescindere, cum hæc pecunia solum data sit ad negotiationem: quare si pecunia illa surrepta fuisset, hanc posset collator vindicare actione in rem.

Respondeo ad 1. Periculi, & damni ac lucri communicationem esse essentialem societati, ideòque ab eâ inseparabilem per aliud pactum, sicut obligatio servandi rem depositam est essentialis deposito. Unde l. *verum. ff. pro socio.* societas dicitur: *jus quodam modo fraternitatis habere.* Aliud est de deposito & aliis, in quibus affecuratio est præter, sed non
contra

contra naturam illorum: nam natura depofiti
 eft ut res depofita fervetur, natura commo-
 dati ut ufus rei gratis concedatur, &c. At na-
 tura focietatis eft, ut fit communio contribu-
 tionis, & lucri ac damni, ex l. 52. & l. 67. cit.
 Ad 2. legem intelligendam eſſe ratione focii
 duntaxat, qui operas ponit, ita ut fi ejus opera
 ac induſtria tanti valeat, quanti pecunia ab
 alio focio collocata, non debeat ille pecuniæ
 alterius ſibi communicatæ periculum ac da-
 mnum ſubire: nam aliàs plus de damno, quàm
 de lucro participaret, & ſic inter illos non eſ-
 ſet æqualitas: ſubiret enim damnum propriæ
 induſtriæ & partis pecuniæ communicatæ.
 Ad 3. & 4. Lucrum majus ſperatum fundari in
 ſocietate, quæ deſtruitur per aſſecurationem
 fortis, ideoque tunc nihil poſſe ob remiſſio-
 nem lucri majoris ſperati exigi. Ad 5. Vel
 negant, vel hanc diſparitatem afferunt quòd
 alia pacta, cum alio facta non impediunt quo-
 minus ſtet vera ſocietas cum mercatore, qui
 in eo ſtatu conſtituitur quem poſtulat ſocie-
 tas: per accidens enim reſpectu illius eſt
 quòd alii pecuniam collatam aſſecurent: at
 pacta illa cum ſocio inita evertunt ſocietatem
 & æqualitatem, cum hic totum periculum ac
 damnum ſubire debeat, ille verò ſolum lu-
 crum certum ultra fortem recipiat. Ad 6. Pa-
 ctum illud eſſe injuſtum: nam eo ipſo quod
 mercator tenetur fortem in omni eventu
 reſtituere, eâ poſeſt uti ſive in negotiatione,
 ſive

sive extra pro libito. Quid enim ad danteram attinet quos in usus alios impendat, modo fors ipsi cum lucro certo restituatur? Unde obligatio imposita socio pecuniam datam non impendendi, nisi in negotiationem est majus onus additum, quod ad nihil aliud sibi quam pro pallio usurario prodest.

CAPUT IX.

De Cambio.

Q. 1. Quid & quotuplex est?

Resp. Q. Cambium est permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro. Hinc differt 1. A quavis alia permutatione, qua non pecunia, sed aliae res permutantur. 2. A mutuo, quod non est permutatio, quodque perficitur sola rei mutuatae traditione, & essentialiter exigit, ut res alia similis non reddatur, nisi post lapsum temporis. At cambium non perficitur nisi pecunia sit ex utraque parte data & accepta, saltem aequivalenter: permutatio enim omnis utrimque dationem requirit.

Cambium duplex distinguitur, scilicet reale, & fictum. Reale seu verum est vera pecuniarum permutatio, aequalitate inter datum & acceptum servata. Fictum est cambium fictum, & verum mutuum specioso nomine cambii velatum, ut cum habetur sola ratio temporis ad lucrum exigendum, aut quando
fingitur

tingitur solutio alibi facienda, & fit in eodem loco cum lucro. Dicitur siccum, quia caret humore, seu justo titulo ad lucrum parandum. Unde à Pio V. Bulla *In eam* omne cambium siccum declaratur usurarium. Hinc patet lucrum ex eo perceptum, esse injustum & restituendum.

Cambium reale dividitur in manuale & locale. Manuale seu minutum, est permutatio monetæ diversæ speciei, & rationis, ut aureæ cum argentea, minoris cum majore, patriæ cum externa, &c. & vicissim. Locale, seu per litteras est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, ut si des hîc, Titio pecuniam & Titius tradat tibi litteras cambii quarum operandem summam recipias Romæ.

Q. 2. An in Cambio reali licitum est lucrum?

Resp. Aff. Modò sit moderatum, & secundùm leges aut consuetudinem locorum, vel communem peritorum æstimationem: nam tale lucrum in cambio manuali percipitur non solum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis ex cambio, sed etiam ratione laboris & operæ in conquirendis, coacervandis, custodiendis variis speciebus monetarum, & in numeranda pecunia, &c. in Cambio verò locali ratione trajectionis realis vel virtualis pecuniæ de loco in locum, cui trajectioni faciendæ campsor operam suam locat, suscepto in se omni labore, & periculo: quæ quidem opera,

Tom. II,

Nn

labor,

labor, & periculum in gratiam alterius suscepta, sunt pretio æstimabilia.

Nec obstat, quòd interdum campfor id faciat sine labore & incommodo, imò cum suo commodo: nam hoc est per accidens, & provenit ex ejus cura, industria, & officio, pro quo sustinendo multæ aliunde impensæ, & operæ præstandæ sunt; cum reipsâ suscipiat obligationem ex se laboriosam, & periculosam.

Q. 3. An licitum est Cambium ad terminum solutionis, seu, ut ajunt, ad nundinas? Sic fit, Campfor vel mercator dat hic pecuniam ea lege, ut illam cum lucro recipiat Francofurti, vel alibi ad proximas nundinas: ita ut plus vel minus exigatur pro cambio, quo magis vel minus remote sunt nundine.

Resp. Secluso alio titulo justo excusante ab usura, cambium hoc est usurarium: nam est verum mutuum, ratione cujus lucrum exigitur: nihil enim aliud est quàm contractus, quo traditur pecunia ut reddatur cum lucro intra terminum. Seu in quo exigitur aliquid ob dilatam solutionem.

CA

CAPUT X.

De Transactione, Affecuratione, Fidejussione, Pignore, & Hypothecâ.

Q. 1. *Quid est Transactio?*

Resp. Est pactio utrinque onerosa de re dubia, & lite incerta sive mota, sive movenda. Hinc ad ejus justitiam tria requiruntur. 1. Veritas, super qua transigitur, sit dubia saltem probabilis existimatione utriusque partis: alioqui fieret injuria parti clarè habenti jus, quæ non componere transigendo, sed vexationem injustam redimere censeretur. 2. Ut conventio sit cum aliquo onere utriusque partis: alioqui donatio esset, non transactio. 3. Per eam lis componatur, vel dirimatur: nam ad hoc instituta est.

Q. 2. *Quid est Affecuratio?*

Resp. Est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis vel certo pretio ad solvendum ejus pretium, si perierit. Quando hæc obligatio pretio suscipitur, est contractus similis venditioni: nam venditur obligatio præstandi Domino rem indemnem, quæ est pretio æstimabilis.

Ex communi, ad ejus justitiam requiritur. 1. Ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur subesse, ita ut rei eventus sit utrique incertus. Si enim ante contractum

Nu 3

con-

constaret affecuranti res, vel merces alterius esse extra omnem aleam positas, v. g. jam pervenisse ad portum, peccaret, & teneretur restituere pretium acceptum: nam nullus est titulus accipiendi pretii, cum affecuratio non sit in hoc casu digna pretio. Deinde affecurans sua deceptione dedisset causam contractui. Idem dic de eo, qui sciens rem suam periisse, pacisceretur cum altero de illius affecuratione: quia impossibilis est rei, quæ periiit, affecuratio; hæc enim potest esse duntaxat de re, cujus periculum caveri potest: ergo tunc nullus est contractus, cum deficiat ejus materia. Deinde tunc dolus daret causam contractui. 2. Requiritur, ut pretium sit proportionatum periculo, spectata æstimabilitate rei, quæ affecuratur, alioqui non servaretur æqualitas.

Q. 3. Quid est Fidejussio?

Resp. Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Circa quod observa

1. Si obligatio debitoris principalis sit invalida, aut extinguatur, cessat etiam obligatio fidejussoria defectu materiae: quia hæc semper supponit obligationem principalem, estque illius accessoria.

2. *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is pro quo obligantur: nam*
eorum

eorum obligatio accessio est principalis obligationis; nec plus in accessione debet esse, quam in principali re. Instit. de fidejussor.

3. Fidejussor non potest conveniri ad solvendum, nisi prius à principali debitore repetitum fuerit debitum, & constiterit eum non esse solvendo. Hæc enim est veluti conditio hujus contractus, nisi aliter conventum sit.

4. Fidejussoris obligatio transit ad hæredes.

5. Peccat graviter, qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus fidejussorem se constituit, putans fieri posse, ut debitor non sit solvendo: nam creditorem injustè decipit, falsam ei securitatem offerendo, & dat ei occasionem periculi, ac damni.

6. Principalis debitor tenetur non solum respondere, quæ fidejussor pro eo solvit, sed etiam resarcire omnia damna orta ex eo, quòd ipse tempore debito non solverit: nam vi contractus tenetur fidejussorem indemnem servare, ea quippe lege is fidejubet.

Sed an licet pro fidejussione exigere pretium à debitore?

Resp. Multi affirmant licere de eo pacisci, pro ratione quantitatis debiti, & periculi: quia obligatio civilis solvendi debitum alterius est onus pretio æstimabile, nec fidejussor tenetur eam gratis suscipere. Neque id exigat pro solutione pecuniæ alterius loco datæ, vel dandæ, nam hoc esset usurarium; sed pro subeunda

N n 3

obli-

obligatione solvendi debitum alterius. Alii negant, si fidejussor sciat nullum subesse periculum, nec molestiam: quia tunc obligatio, quam suscipit, nullum affert onus pretio compensabile. Imò negant, etiamsi prævideatur periculum: quia obligatio solvendi pro alio, eis videtur esse mutuam virtuale, eo quòd hic teneatur totum rependere fidejussori, quod pro eo solvit. Prior opinio videtur probabilior, saltem si periculum aliquod subeat fidejussor. Nec fidejussio videtur esse mutuam virtuale: quia non consistit in traditione rei, sed præcisè in susceptione obligationis alienæ.

Q. 4. Quid est Pignus, & Hypothecâ?

Resp. Pignus est contractus, quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo sic obligata est, ut possit ex ea solutio peti, si debitor non solverit.

Hypotheca verò est contractus, quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, ita ut Jus habeat ex ea solutionem petendi. Differunt inter se 1. Quòd in pignore res tradatur creditori, in hypotheca verò res solâ conventionem obligetur sine traditione. Interdum tamen mobilia bona sine traditione hypothecantur. 2. Quòd pignus sit rei mobilis, hypotheca verò rei immobilis. Hæc tamen nomina passim in Jure idem sonant, & sumuntur etiam pro ipsâ re alteri obligata ad
secu

securitatem debiti, & pro Jure petendi solutionem ex re sic obligata.

Hypotheca alia est conventionalis, seu expressa, quæ mutuo consensu expresso constituitur. Alia tacita, seu legalis, quam lex, vel consuetudo attribuit, etiamsi de hac nulla facta sit in contractu mentio: sic bona tutoris, & curatoris sunt hypothecata pupillo, & minori pro administratione bonorum, bona mariti pro dote uxoris, &c. Item alia est universalis, per quam omnia bona tum præsentia, tum futura obligantur: alia particularis, id est, unius, vel plurium rerum in specie, & hæc semper afficit rem ad quemcunque perveniat, donec debitum solvatur.

Q. 5. Quenam sunt obligationes dantis, & accipientis pignus & hypothecam?

Resp. I. Ex parte dantis, seu debitoris hæ sunt 1. Non licet eandem rem dare pluribus in pignus, seu hypothecam, nisi sit sufficiens pro omnibus debitis. Nam ideo res subjicitur hypothecæ, ut creditor ex ea solutionem capiat, si debitor non solvat: at plures creditores non possunt solutionem accipere ex re insufficiente pro pluribus debitis. Excipe nisi posteriores creditores moneantur de priori hypotheca, nam tunc his non fiet injuria, cum scienti, & volenti non fiat. 2. Debitor tenetur creditori impensas factas in pignoris conservationem, & ne deterius fiat, restituere,

l. 25. ff. de pignorat. act. nec potest pignus reciperi, donec debitum integrè solverit, l. 6. **Cod. de distract. pignor.** 3. Ei non licet vendere rem hypothecatam, nisi emptore monito de hypotheca: quia illum deciperet: nam emptor putaret emergere rem ab omni onere liberam, cum tamen teneretur ex ea debita solve- re, res enim transit ad emptorem cum suo onere reali; nec emptor plus Juris acquirere potest, quam haberet venditor: hic autem non habebat ejus dominium liberum à debitis, cum res sit ad debita obligata.

Resp. II. Ex communi, creditor tenetur 1. Diligenter servare pignus, & curare, ne pereat, aut deterius fiat: Alioqui tenebitur de damno securo ex culpa lata, & **levi, l. 13. ff. de pignorat. act.** non tamen levissima, quia contractus cedit in utriusque partis utilitatem, Potest autem pignus acceptam, vel hypothecam alteri obligare, sed non pro majore summa, l. 1. **Cod. Si pignus, &c.** 2. Non potest uti re oppigneratâ sine consensu debitoris: alioquin furti actione tenetur, l. 56. **ff. de furtis.** nisi utatur in gratiam debitoris, ne scilicet alioqui deterior fieret: quia est res aliena ad securitatem tantum, non ad usum concessa: at injustum est uti re aliena sine consensu Domini. Quòd si debitor concedat illius usum, valor talis usûs debet in sortem computari: alioqui committeretur usura, nam ob concessam dilationem solutionis, acciperetur ali-
quid

quid ultra fortem; cum usus pignoris sit quid pretio æstimabile, & veluti ejus fructus ad Dominum pertinens. 3. Tenetur fructus ex pignore, vel hypotheca perceptos, & consumptos in sortem computare, deductis sumptibus suis, ac laboribus, & extantes restituere, vel deducere: quia res illa est debitoris, ad quem proinde pertinent fructus ex ea nati, res enim Domino suo fructificat. 4. Non potest vendere pignus, nisi debitore tempore debito non solvente, & eo prius monito. Quòd si pluris vendat, quàm sit debitum, tenetur excessum restituere debitori, cum nullo justo titulo possit eum retinere. 5. Non potest pacisci cum debitore, ut si non solvat statuto tempore, pignus sit creditoris, sed hic semper tenetur pignus totum restituere, cum ei postea debitum solutum fuerit: nam talis conventio utroque Jure prohibetur, l. ult. Cod. de pact. pignor. & cap. 7. de pignor. 6. Tenetur soluto integrè debito statim restituere pignus, nam tunc cessat titulus & jus illud retinendi, l. 6. ff. Quibus modis pignus, &c.

CAPUT XI.

De Ludo, & Sponsonibus.

Q. I. Quid est Ludus, & quænam requiruntur, ut sit licitus?

Resp. I. Ludus generatim est jucundum aliquod

N n 5

quod

quod dictum, vel factum ad animi relaxationem ordinatum. Ejus finis proximus est, ut animus oblectatione relaxetur, fiatque aptior ad applicationem, ac intentionem necessariam, eo modo, quo vires corporis, per somnum reficiuntur: quies enim animæ est delectatio, inquit S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. Hinc ludus tam potest esse honestus, quam dormitio, si cum debitis circumstantiis ob finem honestum exerceatur, pertinetque ad virtutem quam Aristot. & S. Thomas Eutrapeliam vocant, quæ est species temperantiæ, per quam homo dirigitur, ac inclinatur ad modum debitum in ludo tenendum.

Ut autem ludus sit licitus hæc ex communi requiruntur. 1. Ut ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2. Ut non sit occasio peccandi; nec scandalum, aut damnum ullum cuiquam pariat. 3. Ut modus debitus, decorum, & omnes circumstantiæ debitæ serventur, ita ut congruat personæ, tempori, & loco, &c. nam bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Hinc Conc. Senonense prohibet Clericis ne in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum Laicis, ob indecentiam. 4. Ut nec sæpius nec diutius ludatur, quam exigit necessitas reficiendi vires animi, & eum expeditiorem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi, sicut cibi, & potus. *Parum autem de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo.*

eibo. ait Aristot. à S. Thoma q. cit. a. 4. relatus. His adde ut ludus necessarius referatur ad finem honestum, nam homo semper propter finem honestum agere tenetur.

Resp. II. Ludus pro contractu sumptus, est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat id, quod exposuerunt. Jure naturæ licitus est, servatis debitis conditionibus: sicut enim licet rem suam alteri absolute donare, ita & dare sub conditione licita, puta si victor ludendo extiterit.

Conditiones autem requisitæ in contractu ludi sunt. 1. Ut omnes conditiones ad ludum honestum necessariae, modò dictæ serventur: nam hic contractus continet, ac supponit ludum, cui est accessorius. 2. Ut summa, quæ ludo exponitur sit modica secundum ejusque facultatem, ac conditionem, & non major quàm opus sit ad excitandum cum oblectatione animum, & impediendum, ne ludus langueat. 3. Ut ludentes habeant dominium, ac liberam dispositionem eorum, quæ exponunt; & aliunde habeant, unde familiam alant, debita solvant, eleemosynas erogent, & cæteris officiis planè satisfaciant. 4. Ut non ludatur principaliter ob lucrum: nam finis ludi proximus est animi levamen, & oblectatio, ut animus sit vegetior, & aptior ad exercitia debita propter Deum rectè obeunda. Deinde lucrum non potest esse finis honestus. 5. Ut absit omnis fraus, & injuria. 6. Ut sit
aqua-

æqualitas moralis quoad omnes in spe lucrandi, & periculo perdendi: nam hæc requiritur ad justitiam hujus contractûs, qui est utrimque onerosus: quippe in eo emittitur spes lucrandi periculo perdendi.

Q. 2. *Quinam ludi sunt prohibiti?*

Resp. Jure divino naturali prohibiti sunt ludi ex se mali, ac turpes, indecori, & ad luxuriam provocantes; vel qui sunt occasio proxima peccati, aut aliis scandalum. Jure autem humano tam Civili quam Canonico prohibitus est omnibus etiam Laicis ludus saltem frequens aleæ, l. 1. & 2. Cod. de aleator. & cap. Episcopus. dist. 35. ex Canon. Apostolorum, ibi: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem privetur. Similiter etiam Laicus.* Ratio prohibitionis est periculum, & occasio multorum peccatorum, & malorum, ut iræ, rixarum, litium, blasphemiarum, perjurii, jacturæ temporis, neglectûs officiorum debitorum, everfionis fortunarum, &c. Ludus autem aleæ est ille, cujus successus unicè, vel magis ex fortuna, seu casu, quam ex industria pendet, ut ludus taxillorum, & chartarum. Nomine autem fortunæ, ac casûs intelligi debet dispositio providentiæ divinæ præter certam aliquam spem, & opinionem humanam à sola Dei voluntate pendens.

Hinc

Hinc, ut patet ex poena gravi appofita, peccat mortaliter, qui aleæ defervit, hoc est, qui tali ludo crebrò, & per longum tempus lucri causâ ludit. *Ludus aleæ est peccatum mortale secundum Raymundum, quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum: nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale.* ait S. Antonin. 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 8. Imò secluso jure positivo sæpe est mortalis aleæ ludus ratione multarum circumstantiarum, ut docet Toletus, post S. Chrysoft. qui Homil. 15. ad popul. ait: *Aleas tractare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre... Circa aleas studium, blasphemias, jacturas, iras, convitia, infinitaque alia bis graviora sæpe produxit.*

Hinc etiam graviter peccant, qui aleatoribus domum suam ad ludendum commodant: quia occasionem, & commoditatem graviter peccandi aliis præbent; idque jure Cæsareo, & Francico prohibetur. His ergo deneganda est absolutio, nisi resipuerint, ut monet S. Carolus.

Q. 3. *Quandonam committitur peccatum mortale in ludo?*

Resp. Ex communi his casibus 1. Si ludus sit per se graviter illicitus, ac turpis, vel solo jure posi-

positivo graviter vetitus, ut si quis aleæ deser-
 viat. 2. Si ludenti, vel alius sit occasio proxi-
 ma peccati mortalis, ut blasphemix, perjurii,
 fraudum, rixæ, libidinis, &c. 3. Si idcirco
 negligantur, officia sui statûs, vel muneris;
 aut omittantur opera graviter præcepta. 4. Si
 immodica summa ludo exponatur, ita ut reli-
 qua bona non sufficiant ad sustentandam fami-
 liam, collocandos filios, ad dotandas filias de-
 ceenter secundum suum statum, ad solvenda
 debita, ad dandas eleemosynas, &c. 5. Si in-
 juria, vel damnum grave alteri inferatur frau-
 dibus, violentis attractionibus ad ludum &c.
 6. Affectu ad ludum graviter immoderato.
Nam potest esse peccatum mortale propter vehe-
mentiam affectûs ad ludum, cujus delectationem
præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra
Præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non
refugiat. Ait S. Thom. 2. 2. q. 168. a. 3. De-
nique si quis ludat cum eo qui non potest alie-
nare: nam vult sine titulo justo alienum ob-
tinere, quod est injustum, & cooperatus
injustitiæ alterius.

Q. 4. Quibus casibus lusor ante omnem sententi-
am tenetur ad restitutionem?

Resp. Ex communi Victor restituere tene-
tur 1. Si victus non habeat rei dominium, & li-
beram dispositionem. 2. Si victor vi, minis,
dolo, convitiis, vel simulatione imperitiæ in-
duxit alterum ad ludendum. Nam fecit ei in-
juriam

juriam, eique occasionem damni injustè dedit. Si tamen coactus lucretur, non tenetur restituere lucrum: quia ludus ex parte ipsius est justus, & omnem inæqualitatem circa spem lucri sustulit injuria coactionis, & victus sponte in hoc periculum se coniecit. 3. Si fraude aliqua contra ludi leges usus sit v. g. Si chartas signo aliquo notaverit, aut per nutus circumstantium, vel ex industria agnoscat, vel artificiosè ita componat, ut meliores sibi obvengant, &c. Et tunc tenetur restituere tum id quod lucratus est, cum illud acquisierit per injuriam: tum etiam id quod alter justè lucratus fuisset, nam hæc spes lucri erat pretio æstimabilis, & ei per injuriam sublata fuit. Ludi autem leges sunt, quæ vel comuni ludentium consensu constitutæ sunt, vel loci consuetudine receptæ. Quædam tamen fraudes, seu potius astutia, quæ ex communi consuetudine adhibentur, & noscuntur adhiberi, non censentur contra ludi leges, nec injustæ, ut si quis sciens se meliores chartas habere, timorem simulet, quo alter ad augendam sponsonem impellatur. 4. Si victor ante ludum habuerit animum non solvendi, vel si non possit alienare rem ludo expositam aut quidquam amittere; vel si arte ludendi sit notabiliter alteri superior, ita ut moraliter certus sit de victoria. Quia tunc error dedit causam contractui: alter enim non voluit ludere, nisi quia contrarium putavit. Præterea hæc sunt contra justitiam ludi exigent-

gen-

gentem, ut inter ludentes sit æqualitas moralis in spe lucrandi, & in periculo perdendi: nam hic contractus est utrimque onerosus, non donatio, nec ad remunerandum digniorem, & peritiorem institutus; sed in eo emittitur spes lucrandi periculo perdendi: ideóque requirit æqualitatem inter spem, & periculum. Idque verum est, etiamsi excessus peritiæ unus sit notus alteri; nisi prudenter ex circumstantia censeatur donatio spontanea lucri ex parte minùs periti: nam sicut non sufficit ad justitiam venditionis, si emptor vitium rei nòrit, & rei cupiditate solvat pretium justo majus, quia aliter eam habere nequit, nec donare excessum censeatur: ita in ludo, &c. nisi in æqualitas peritiæ aliundè compensetur. Quamdiu tamen uterque ignorat excessum notabilem peritiæ alterius, lucrum est justum etiam in peritione: quia uterque tunc se exponit periculo perdendi; & sicut lucranti occurrit imperitior, ita poterat occurrere peritior, & sic contractus fuit fortunæ, & ex utraque parte æqualis. Deinde ludentes hoc animo ludunt, ut lucrum retineri possit, dum neutri constat de notabili excessu. §. Juxta varios si victor luserit ex animo repetendi solutum: quia non habebat jus lucrandi, & decepit alterum, qui non voluit ludere nisi supposita spe lucrandi. Qui tamen lusit animo solvendi, potest mutare animum peracto ludo, & solutum repetere in judicio.

Q. 5.

Q. 5 An qui ludo vetito, seu alea, aliquid lucratus est, tenetur lucrum restituere, vel qui perdidit solvere?

Not. Agitur hic de magnâ summâ: nam qui modicum perdidit, tenetur solvere. Quia contractus ludi fuit justus, obligâtque naturaliter; nec leges, quæ vigent, prohibent modicum quid ludo per se licito exponere, ac proinde lucrum modicum solutum retineri potest, nec conceditur jus illud repetendi.

Resp. I. *Juxta communem sententiam, seclusa lege speciali loci irritante contractum ludi, magna pecuniæ summa jam acquisita ludo vetito seu aleâ, servatâ aliunde justitiâ, potest retineri in conscientia, donec per sententiam judicis exigatur restitutio: quia contractus ludi Jure naturæ habet vim transferendi dominiû ex libero consensu ludentium; & jure positivo communi, vel saltem ex consuetudine non est ipso facto irritus; nec ludentes redduntur inhabiles ad transferendum dominium, neque obligantur ad restitutionem nisi post sententiam judicis: ex eo autem quòd contractus sit prohibitus, non ideò hoc ipso est irritus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. cap. 16. de Regular. ut patet in matrimonio post votum simplex castitatis contracto, in negotiatione clericis interdicta, &c.*

Resp. II. Qui aleâ lusit, & notabilem pecuniæ summam perdidit, sistendo in jure naturali,

rali, tenetur solvere. Quia contractus fuit validus, ac proinde ex illo victor comparavit jus ad id quod lucratus est. Præterea qui perdidit, debuit ludendo consentire in solutionem si perderet: alioqui mala fide lusisset, ideoque lucrari non potuisset.

Sed controvertitur, an Jure Civili communi, seu Cæsareo lusor teneatur in conscientia solvere debita ludo contracta? Alii negant quia l. 1. *Cod. de aleator.* conceditur victo, & ejus hæredibus jus repetendi in judicio, quod solvit. Ergo victus potest Jure retinere id, quod solutum repetere statim posset: cui enim lex dat actionem repetendi, eidem etiam dat exceptionem, ut non solvat, juxta, reg. jur. 71. in 6. *Qui ad agendum admittitur, est ad excepiendum multò magis admittendus.* Et l. 198. ff. *de reg. jur.* Deinde leges Cæsareæ statuunt, ut victus non cogatur solvere. Unde cum retinere meam rem, & datam recipere æquivalent, injustum non est commodiorem modum absque inutili circulo eligere. Hinc l. 3. ff. *De compensat.* dicitur: *interest nostra potius non solvere, quàm solutum repetere.*

Alii verò contendunt debitorem teneri solvere, nisi judicem requirat pro debiti sui absolute. Quia 1. qui lusit, validè lusit: ergo contraxit obligationem standi contractui valido, donec irritetur: & sic victor habet jus ad solutionem, donec eo privetur per judicem. 2. Sicut qui validè lusit, & perdidit, non potest

test ante sententiam iudicis solutum repetere, aut occultè recipere, ita nec potest ante sententiam non solvere. 3. Leges non concedunt jus repetendi solutum nisi in iudicio: ergo jus non solvendi acquiritur solum per sententiam iudicis: & cum dicunt, victus non cogatur solvere, subintelligitur à iudice: unde significant solum actionem victori non dari ad repetendum debitum. Porro certum est victum teneri solvere, si juraverit se soluturum: quia iuramentum de relicta præstanda servari debet ex religione, & reverentia erga Deum.

Dixi *jure communi*; nam potest esse alia consuetudo Patriæ, vel lex specialis annullans obligationem naturalem solvendi debita ludo contracta, pro ut est in Galliâ ex edicto Ludovici XIII. quoad hoc recepto. Sed videtur in his rebus standum esse consuetudini receptæ, nec lege abrogatæ.

Q. 6. *Quid est sponsio, & quid ad ejus justitiam requiritur?*

Resp. Sponsio est contractus, quo duo, vel plures de veritate, aut eventu rei alicujus contententes, sibi invicem aliquid spondent, ut id sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.

Ut hic contractus sit justus necesse est 1. ut res, de qua agitur, in eodem sensu ab utroque accipiatur: nam alioqui nullus esset contractus sponsionis, si quidem spondentes non

consentirent in idem, si diversimodè rem intelligerent. 2. Ut res, de quâ contenditur, sit incerta utrique contrahenti. Alioqui jam non esset æqualitas in spe, & periculo, quæ ad justitiam sponsonis requiritur: nam sponso est contractus onerosus, quo emitur spes lucrandi periculo perdendi.

Hinc si quis certus de rei veritate, vel eventu, aliquid sponso lucratus est, tenetur id restituere, etiamsi de sua certitudine alterum monuisset, qui nihilominus vellet contendere: quia hic non vult donare, aut se punire, sed spondere, eo quòd putet rem esse semper incertam, & falli ab alio: & ideo diligenter postea veritatem inquit. Cum autem in sponso ematur, & vendatur spes lucri periculo amittendi, veluti merx pretio: si nullum sit periculum perdendi, nihil emitur, nec venditur: ac proinde invalidus est contractus, sicuti invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, etiamsi emens monitus fuisset falsam esse, sed credere noluisse. *De Lugo.*

CAPUT XII.

De Ultimis voluntatibus.

Q. I. Quid est Testamentum?

Resp. Est legitima dispositio de iis, quæ quis vult fieri post mortem cum institutione hæredis, vel legatarii universalis. Quod addo, quia

quia in Gallia ad testamentum non requiritur hæredis institutio: imò si fieret, dicitur testamentum à iudicibus declarandum esse ritum: quia lex consuetudinaria permittit solum institutionem legatarii universalis.

Dividitur in solemne, in quo servantur omnes solemnitates à jure præscriptæ; & in privilegium, quod valet etiam si non omnes illæ solemnitates servantur, tale est testamentum militare. Solemne subdividitur in scriptum, seu clausum, quod fit scripto coram testibus requisitis; & in nuncupativum, seu apertum, quod fit viva voce coram testibus requisitis, licet postea possit scripto mandari.

Circa solemnitates à jure in testamentis requisitas consuli debent leges, ac locorum consuetudines.

Jure autem Cæsareo ad testamentum scriptum hæc requirentur. 1. Ut hæres claris, & expressis verbis instituat, illiusque nomen propria manu testatoris scribatur; vel si aliena ipse testator subscribat, & subscriptum, ac involutum ostendat testibus, dicatque in eo suam ultimam voluntatem contineri. 2. Ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, idonei, hoc est, qui non excludantur à jure, quales sunt hæres, Filius familias, furiosi, damnati ob crimen, &c. 3. Ut omnes, & singuli testes nomen suum subscribant propria manu, & annulo, seu sigillo obsignent. 4. Demum ut id totum in uno eodemque loco,

pore unôque contextu peragatur. l. 21. Cod. de Testam.

Ad nuncupativum requiritur solùm, ut testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm circa legata coram septem testibus, masculis, liberis, puberibus, & ad id vocatis declaret, distincta voce, ut possit audiri.

Q. 2. An testamentum destitutum solemnitate requisita à Jure Civili validum est in conscientia?

Resp. Circa hoc multiplex est sententia. 1. Docet tale testamentum esse invalidum in utroque foro, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius teneatur ante sententiam judicis restituere hæredibus ab intestato. 2. Afferit valere in conscientia, ita ut hæredes ab intestato non possint licitè repetere hæreditatem, vel legatum, etsi adjudicetur ipsis à judice, teneri ad restitutionem, si ipsis constet de voluntate testatoris. 3. Inter has media docet illud nullam parere obligationem civilem, sed solùm naturalem, & quidem infirmam, quæ per judicem tolli possit: atque ita non esse omnino invalidum in foro conscientiae, sed valere ad hoc, ut hæreditas, vel legatum possit retineri in conscientia, donec à judice adjudicetur hæredibus ab intestato: neque etiam omnino firmum, quia post sententiam judicis relicta per illud restitui debent hæredibus ab intestato.

Ita

Ita Sanchez, Layman, & alii, qui sic putant conciliari posse leges in speciem contrarias. Unde leges, quæ dicunt testamentum destitutum solemnitate pro infecto habendum, nullum esse, scilicet, inquit, per sententiam iudicis, qui ob defectum solemnitatis efficaciam eius elidit.

Ego assentior illis docentibus, hac in re consulendam esse locorum consuetudinem, & praxim iudiciorum, atque servandum id, quod æquus iudex perspecta penitus veritate iudicaret: nam idem in utroque foro servandum est, ubi forum externum non nititur falsa præsumptione, nec damnat in pœnam, quæ iudicis sententiam requirit. Quare si iudex quamvis certò nôrit voluntatem testatoris, rescindat testamentum ob defectum solemnitatis, & hæreditatem, ac legata profana adiudicet hæredi ab intestato; ea ipsi debentur in conscientia ante sententiam: quia sicut privati possunt apponere contractibus suis certas condiciones, quibus omissis nolunt valere contractum: ita Princeps, vel Resp. cui subditorum personæ, ac bona subiiciuntur in ordine ad bonum commune, potuit propter fraudis periculum, & majorem dispositionis cautionem facere, ut consensus contrahentium, ac disponentium sine certa solemnitate esset de facto irritus: fecisse autem constat ex verbis legis, vel consuetudine, & praxi iudiciorum, quæ est legum interpretres.

Not. Testator tenetur hæredes instituere in portione legitima descendentes, & his deficientibus ascendentes, nisi justam exhæredandi causam habeat: unde hi dicuntur hæredes necessarii.

Q. 3. Quinam testari non possunt?

Resp. 1. Qui carent usu rationis, ut infantes & perpetuò amentes. 2. Filius-familias. Si tamen pubes sit, potest testari de bonis castrensibus, & quasi castrensibus ad quaslibet causas, & de adventitis ad pias causas: sed cum Patris consensu, ex cap. 4. *de sepult. in 6.* 3. Servus. 4. Religiosi solemniter professi. 5. Prodigii post interdictam administrationem. 6. Qui commiserunt aliquod crimen, cui jure annexa est talis poena, & morte damnati. 7. Clerici de bonis Ecclesiasticis, cap. 9. *de Testam.* in multis tamen locis consuetudo est contraria, sed semper tenentur de iis in pias causas disponere: nam juxta communem sententiam tenentur jure divino naturali ea bona toto vitæ tempore sic impendere. Quare nulla consuetudo, nec potestas humana potest eos excusare, vel dispensare.

Q. 4. Quid est Codicillus?

Resp. Est scriptura continens ultimæ voluntatis dispositionem circa ea, quæ quis vult fieri post mortem citra hæredis, seu legatarii universalis institutionem. Adhibetur ad legata, ac fidei-

ac fidei-comissa relinquenda, vel ad aliquid explicandum aut mutandum circa testamentum. Ad ejus valorem sufficiunt quinque testes licet non rogati, nec requiritur, ut testator manū propria subscribat.

Q. 5. Quenam notanda sunt circa Legata?

Resp. Sequentia. 1. Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum directis verbis alicui relinquit, sumitur etiam pro ipso dono sic relicto.

2. Legata solvi debent ex justitia statim post aditam hæreditatem, & ex hoc legatarius acquirit eorum dominium. Quare si executor testamenti negligat ea solvere, tenetur de damno inde secuto: nam peccat contra proprium officium in damnum alterius; executor enim constituitur ad præstandum id omne, quod testator fieri voluit: qui autem peccat contra proprium officium ad alterius commodum spectans, peccat contra justitiam. Si nullus sit constitutus executor, tenetur hæres: nam hæreditatem acceptando se obligavit implicitè ad præstanda onera ei annexa.

3. Legatum transmittitur ad hæredes legatarii.

4. Legatum sub modo factum obligat ad modum illum observandum, si modus sit in utilitatem tertii, vel legantis; quia tunc testator præsumitur voluisse ad eum obligare: se-

cus, sit modus sit in solam utilitatem legatarii, quia non præsumitur obligatio inducta, nisi aliunde colligatur, sed solum Testator explicuisse motivum legandi. Quando autem testator obligat ad modum implendum, aliquando obligare vult, non ita tamen, ut si non impleatur, legatum revocetur, & restitui debeat; sed ut peccet legatarius contra Justitiam, si non observet. Aliquando vult, ut modo non observato res legata restituatur, vel cum fructibus percceptis, vel sine illis. Quæ omnia pendent ex intentione testatoris, quæ arbitrio prudentis ex ejus verbis, & aliis conjecturis, ac circumstantiis colligenda est. Quando legatum relictum est Ecclesiæ, vel piæ causæ sub modo obligante, nisi aliud testator expresserit, non censetur voluisse, quod revocetur legatum, si modus non servetur, cap. *verum*. de condit. appof.

5. Si legatum ad certam piam causam factum, nequeat ei applicari, debet ab hærede dari in alteram piam causam impendendum iudicio Episcopi: nam defunctus censetur in tali casu voluisse, ut alteri piæ causæ applicaretur, cum id æquè sit gratum Deo, & utile ejus animæ. Episcopus verò ut interpres voluntatis defuncti, tunc habet Jus legata pia ad alium pium usum destinandi, ex cap. 3. & 17. *de testam*. Legatum verò relictum ad causam profanam, si impleri nequit, redit ad hæredem.

6. *Quam*

6. Quamvis testamentum ad causam non piam defectu solemnitatis esset invalidum in utroque foro; tamen legata pia in eo contenta valida sunt, & ea statim solvere tenetur hæres ab intestato, si constet quoad illa de voluntate defuncti, ex cap. 11. de testam. tum quia ipsa pia legata sunt remedia vulgò ad testatoris salutem necessaria, & semper utilia, imò sæpe restitutiones ex iustitia debitæ, & à Confessario præscriptæ. Tum quia juxta leges Cæsareas legata etiam profana relicta sine solemnitate requisitâ solvi debent, si constet de voluntate defuncti, ex *Instit. de fidei commiss.* & ex cap. 4. de Testam. In Gallia verò jure consuetudinario secundum communem Doctorum Gallorum sententiam hæres tenetur in conscientia solvere legata ad pias causas, quamvis in iis, vel in testamento præscriptæ solemnitates omiffæ fuerint: secùs, si sint ad causas profanas. Hinc quando hæredi constat voluntatem testatoris esse, ut aliquid in causam piam distribuatur, licet id in foro externo probari nequeat, tenetur in conscientia solvere. Tunc enim probatione opus non est, dum de veritate constat.

Q. 6. Quid est Fideicommissum?

Resp. Est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator Fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum. Duplex est aliud universale, in quo tota hæreditas committitur danda alteri.

Sed

Sed Jus Cæsareum concedit Fidei-commissario quartam partem hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur à Jure-consulto Trebelliano, ne inutiliter hæreditatem adierit.

Aliud particulare, in quo tantùm pars hæreditatis committitur danda alteri.

Q. 7. An valet in foro conscientie Fidei-commissum in favorem ejus, qui per leges non potest hæres, vel legatarius institui?

Resp. I. Testator peccat mortaliter ita disponendo, & etiam is, qui talis dispositionis executionem promittit: quia violat legem justam, quæ id graviter prohibet. Hinc [S.] Hieron. Epist. ad Nepotian. ait. *Per Fidei-commissa legibus illudimus.*

Resp. II. Is qui per fidei-commissum etiam occultum, hæreditatem, aut legatum accepit tradendum personæ, quæ per leges excluditur ab hæreditate, vel legato, seu dono, putà filio spurio, vel uxori defuncti, ita ut non acciperit nisi sub hac conditione sibi significatâ; non potest licitè tale fidei-commissum exequi, sed tenetur accepta restituere legitimis hæredibus ab intestato. Quia i. alioqui ageret contra intentionem, & finem legis, & ipsam legem prohibentem ne hæreditas, vel legatum & donum talibus personis tradatur simpliciter, id-eoque sive directè sive indirectè. Nam certum est, quod is committit in legem, qui legis verba com-

complectens, contra legis nititur voluntatem.
 Reg. 88. Jur. in 6. *Et cum quid unâ viâ prohibe-*
tur alicui, ad id aliâ non debet admitti, Reg. 84.
 Jur. in 6. *Jam verò quæ contra jus fiunt, debent*
pro infectis haberi. Reg. 64. Jur. in 6. & *leges*
justæ obligant in conscientia. 2. Tale fidei
 commissum est in fraudem legis, ejusque effi-
 caciâ prorsus elideret, si liceret, aut valeret.
At fraus, & dolus alicui patrocinari non debent,
 ait Conc. Gener. Later. 4. cap. 46 Item per-
 sona, quæ per legem excluditur ab hæreditate,
 vel legato, re ipsa bona acciperet à principali
 testatore per alium tanquam instrumentum:
 at lex id vetat hoc ipso, quòd illam excludit à
 bonis defuncti. *Ita Covar. Azor asserens, esse*
communem sententiam.

Igitur tale Fidei-commissum debet censeri
 tanquam si factum non fuisset: ac proinde
 bona defuncti per illud accepta pertinent ad
 hæredes legitimos ab intestato: nam qui ac-
 cepit aliquid tradendum alteri, non potest il-
 lud sibi retinere, quia revera non ei donatum
 fuit: neque potest tradere illis, qui per leges
 sunt incapaces illud accipiendi. Hinc Covar.
 & Azor *ex communi*, (ut ipse ait) *sententia* do-
 cent, filium spurium, qui accepisset bona Pa-
 tris per Fideicommissum, vel alio modo, te-
 neri ante omnem sententiam ea restituere le-
 gitimis hæredibus ab intestato venientibus,
 vel testamento institutis, cum justa lege eo-
 rum bonorum capax non sit.

Porro

Porro in Gallia id omnino certum est: nam
ibi, & fortè etiam in multis aliis locis, quodvis
Fideicommissum jure saltem consuetudinario
vim legis habente & obligante in consci-
entia, reprobatur, nullumque
jus tribuit.

Finis Tomi Secundi.



INDEX